

2

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Apparentes in dictis Doctoris Subtilis SCOTI,


Ex Quæstionibus Vniuersalium, Prædicamentorum, Periherm. Animasticis, & Metaphysicis eiusdem,

Compilatæ, & conciliatæ per Adm. R. P. Mag.

PETRVM VIRGILII A CASSIA

Ordinis Minorum Conu.

Opus perutile profitentibus Doctrinam Scoti.







PERVSIÆ. MDCXLIX.

Apud Hæredes Thomasij, & Sebastianum Zecchinum,

SVPERIORVM CONSENSV.


Pertinet ad [illegible] S. Fran. [illegible]

Eminentiss. ac Reuerendiss. Domino

D. FAVSTO POLO

S. R. E. Card. Amplissimo,

Vrbis Veteris Antistiti Vigilantissimo, Dominoq. Colendissimo.



Fr. Petrus Virgilij de Cassia Ordinis Minor. Con. Doctor Theologus P. P. F.



INgentia, adeoq. innumerabilia sunt (Eminentiss. ac Reuerendiss. Purpurate) tua in me collata beneficia, vt effatu impossibilia, nec, quicumque Athenienses coluere scholas, possint explicare sermone. Idcirco animus tanto iam onere pressus oneri cedere erubescens cogitur. Erubescens, dixi, nec quidem immeritò, quoniam quicquid sum, si aliquid sum, tibi acceptum refero. Quid mirum igitur, si impar animus debitas de-

AMICO LECTORI.





Eraphici Patris FRANCISCI non ſibi ſoli viuere, omnibus proficere, nulli nocere ſemper pientiſsimum inſtitutum fuit. Nulli ergo mirum ſi ipſe, vt eius (eſto indignus) filius hos meos labores pluribus vigilijs confectos in lucem profero, Amice Lector. Non ignoro hac noſtra tempeſtate acutiſſimos vigere Scotiſtas, voluminaq plena ſubtilitatibus edere, quibus hoc rude opuſculum comparatum, locuſta videtur ingenti comparata elephanti, eapropter occultandum in tenebris potius, quàm in lucem propalare decens erat. Ac ſi Philoſophicum illud conſultum adhibeatur, videlicet, oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcere, ex iſto oppoſito opuſculo illorum doctrina, & ſubtilitas propalabitur, & albedo claritatis illorum patefaciet obſcuritatem, & nigredinem huiuſce opuſculi. Nec me latet in reſpondendo non adæquare: Verumtamen, qui profiteris doctrinam Doctoris Subtilis, imitare quoque modum ipſius in

exa-

examinandis aliorum placitis. Illis enim humiliter correctis suum placitum in medium affert. Non me piget subesse correctioni, veluti nec Apostolorum Principem à Paulo, Ioannem Chrysostomum à vetula corrigi piguit, quinimò hæreticorum malleus Augustinus sæpe proferre solebat se non erubescere discere à tenero puello. Quare corrigant me fratres mei iuxta nostrum institutum benignè, & caritatiuè. Interea, Amice Lector, si rudis non satisfacit intellectus, sinceram suscipe voluntatem, memor esto dicti illius Vatis,

Si desint vires, tamen est laudãda voluntas
Hac ego contentos auguror esse Deos.

Reuerendi Patris Baccalaurei
ROMVALDI ANTONII DE NVRSIA
Ord. Min. Con. in Sacro Stigmatum
Collegio Collegialis,

Nomine Auctoris ad Librum.

SIc vbi fata volunt, gressusque inferre per orbem
Optas care liber; mentem memor accipe nostram:
Curis nanque tuis poterunt monumenta leuamen
Esse, quod hoc aquo portant fluitantia corde
Sapius, & laudis collesq. viasq. perennis
Demonstrant, animiq. virum redduntur amici.
Hospes eris, qua absunt, oris dum labitur hospes.
Rebus, vel dictis casu si spernitur vlli,
Aut aliter, licet, huic iram moderamine tristi
Pellere corde, hilaremq. suo spem fingere vultu:
Quippe sua furor offundit caligine mentem,
Atque hominem propria trahit in discrimina vita.
Sic tu mordaci quando te carpere dente
Quis gaudet, prudens animi compesce dolorem.
Multi nempe ferunt, orbi iam luce nefandum
Arbitrium: at spernendo alios, spernuntur & ipsi.
Iusti fac semper quisquam te noscat amantem:
Cordi nanque fauent cœli pia numina sano;
Toruus & amplexus dulces dat mundus vbique
I faustis igitur ventis; formosus Apollo
Lux tibi sit. Charitesq. pia, Musaq. benigna
Adsint, quo te cunque feras, quòcunque voceris:
Quocirca haud raro nostras praconia rumor
Mittat in auriculas, celsis tibi parta triumphis,
Atque aterna tuum vigeat per sacula nomen.

CHRI-

CHRISPOLTI ANTIQVI TREBIÆ
Ludi Litterarij publicè Præceptoris.

EPIGRAMMA

In laudem Admodum R. P. Magistri
PETRI VIRGILII DE CASCIA.

GAudet vi sobolis mira nunc Iapetus ortum,
Phœbi cuius adit nomen vtramque domum.
Gaudet Subtilis fautorq. comesq. Magistri
Omnis ab ingenio captus, & arte PETRI.
Gaudet honoratus mersos caligine partus
SCOTVS ab eximio lumen habere viro.
Gaudet opus tandem supero quasi numine latum
Mundus, & Artificem terque, quaterque canit.
His, sed cum merito donant pia sydera, quando
Religionis honor, spesq. decorq. suæ est.
Turbida nam rutilans oculis si nubila Titan
Pellit, & excelsis itq. reditq. polis;
De celebri alta POLO ducens excorsa laboris
E dubijs nebulas mentibus ille fugat.



In laudem Admodum R.P. Magistri
PETRI VIRGILII DE CASSIA

MVTII PETRONII DE TREBIO
eiusdem Discipuli.

EPIGRAMMA.

CVm tua sit talis virtus Doctissime PETRE,
Terminus est illi paruus vterque POLVS.
Te docti nequeunt homines celebrare canendo:
Verbis namque negat gloria summa locum.
Famaque iam magnum deportat ad æthera nomen
Oribus applaudens laudibus ipsa tuis.
Illa perennè canit, cunctisque ostendit honores,
Atque tuas laudes illa perennè canit.
Ipse potes dici SCOTI sublimis Alumnus,
Artis dum tanta culmina summa tenes.
Ars tua nam Phœbi fulgentis lumen adæquat
Ingens, dum radijs fulget vbique suis.
At magis vt Phœbo similem se præbeat alto,
Sub tam præclaro cernitur esse POLO.



PErlegi, ac maiori, quà potui diligentia de mandato Reuerendissimi Patris Magistri Michaelis Angeli à Sancto Mauro totius Ordinis Minorum Conuentualium Ministri Generalis examinaui Opus, quod inscribitur, *Contradictionum umbra in Scoti doctrinam*, tum circa Logicales, tum circa Animasticas, ac Metaphysicales Quæstiones ab Adm. R. P. Magistro Petro Virgilij à Casia summo studio, ac diligentia elaboratum, cumque nihil repererim contra bonos mores, sanamque doctrinam, nihilque quod Catholicæ Fidei sit repugnans, quinimò concinne admodum viderim loca explicata, & conciliata, quæ prima facie contraria videbantur, dignum censeo ad communem Scotistarum vtilitatem typis posse mandari. In quorum fidem &c. Datum Assisij in Sacro Conuentu die 4. Iunij 1648.

Ego Fr. Lazarus de Montibus à Monte Nouo eiusd. Ordinis Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, & in Sacro Assisij Collegio Regens &c.

Locus † Sigilli.

Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Domino

D. FAVSTO POLO

S. R. E. Card. Ampliſsimo,

Vrbis Veteris Antiſtiti Vigilantiſsimo, Dominoq. Colendiſsimo.



Fr. Petrus Virgilij de Caſsia Ordinis Minor. Con. Doctor Theologus P. P. F.



INgentia, adeoq. innumerabilia ſunt (Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Purpurate) tua in me collata beneficia, vt effatu impoſsibilia, nec, quicumque Athenienſes coluere ſcholas, poſſint explicare ſermone. Idcirco animus tanto iam onere preſſus oneri cedere erubeſcens cogitur. Erubeſcens, dixi, nec quidem immeritò, quoniam quicquid ſum, ſi aliquid ſum, tibi acceptum refero. Quid mirum igitur, ſi impar animus debitas de-

ſperet gratias agere? Verum, ſi Amplitudinem benignitatis, ingentemq. magnanimitatem inſpiciam, redeunt vires, & audax venio tuo in conſpectu gratias acturus, gratiaſque recepturus: gratias acturus pro collatis beneficijs: gratias vero recepturus, ſi munuſculum hoc mearum lucubrationum, qua ſoles benignitate recipies. Noui equidem, Eminentiſs.ac Reuerendiſs Domine, noui magna magnis viris deberi, teq. magnitudine Eminẽtiſsimum dignum quoque muneribus Eminentiſsimis. Noui defectum, noui, inquam, exiguitatẽ (nõ enim à viribus maiora ſuppetunt) muneris. At me non latet ampliſſima benignitas, mellea dulcedo ab illa emanans, vt ſi Vati illi dicere licuit,

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella,

mihi ſanioti, verioriq. modo dicendum ſit in pręſenti non ſtillatim, ſed affluenter ferre.

Iam pulchræ quercus roſcida mella ferunt.

ferunt, inquam, roſcida mella donando generoſiſsimi cordis dulcedinem ipſo melle; ipſo-

ipſoq. ſaliando dulciore dulciſsimo diſtillant per totum terrarum orbem dulcedine cuncta replendo. Dulcorent ergo (oro) acerbitatem, immaturitatemq. peracerbi fructus huius mei ingenioli, quem tibi in deuotionis tributum affero; ac offero, pectore, voce, manu. Suſcipe igitur, Eminentiſsime, & Reuerendiſsime Domine, qua ſoles humanitate, meq. humillimum ſeruum patrocinium quærentem ſine gratia ne dimittas, imò ſemper protegas, ac foueas etiam, atque etiam rogo.

Interea prece ſummum iam exorabo Tonantem,
Tādem vt te Fauſtum ad Sydera fauſta vocet.

AMI-

AMICO LECTORI.





Eraphici Patris F R A N C I S C I *non sibi soli viuere, omnibus proficere, nulli nocere semper pientissimum institutum fuit. Nulli ergo mirum si ipse, vt eius (esto indignus) filius hos meos labores pluribus vigilijs confectos in lucem profero, Amice Lector. Non ignoro hac nostra tempestate acutissimos vigere Scotistas, voluminaq plena subtilitatibus edere, quibus hoc rude opusculum comparatum, locusta videtur ingenti comparata elephanti, eapropter occultandum in tenebris potius, quàm in lucem propalare decens erat. Ac si Philosophicum illud consultum adhibeatur, videlicet, opposita iuxta se posita magis elucescere, ex isto opposito opusculo illorum doctrina, & subtilitas propalabitur, & albedo claritatis illorum patefaciet obscuritatem, & nigredinem huiusce opusculi. Nec me latet in respondendo non adæquare: Verumtamen, qui profiteris doctrinam Doctoris Subtilis, imitare quoque modum ipsius in*

exa-

examinandis aliorum placitis. Illis enim humiliter correctis suum placitum in medium affert. Non me piget subesse correctioni, veluti nec Apostolorum Principem à Paulo, Ioannem Chrysostomum à vetula corrigi piguit, quinimò hæreticorum malleus Augustinus sæpe proferre solebat se non erubescere discere à tenero puello. Quare corrigant me fratres mei iuxta nostrum institutum benignè, & caritatiuè. Interea, Amice Lector, si rudis non satisfacit intellectus, sinceram suscipe voluntatem, memor esto dicti illius Vatis,

Si desint vires, tamen est laudáda voluntas
Hac ego contentos auguror esse Deos.

Reuerendi Patris Baccalaurei
ROMVALDI ANTONII DE NVRSIA
Ord. Min. Con. in Sacro Stigmatum
Collegio Collegialis,

Nomine Auctoris ad Librum.

SIc vbi fata volunt, gressusque inferre per orbem
Optas care liber; mentem memor accipe nostram:
Curis nanque tuis poterunt monumenta leuamen
Esse, quod hoc aquo portant fluitantia corde
Sæpius, & laudis collesq. viasq. perennis
Demonstrant, animiq. virum redduntur amici.
Hospes eris, quæ absunt, oris dum labitur hospes.
Rebus, vel dictis casu si spernitur vlli,
Aut aliter, licet, huic iram moderamine tristi
Pellere corde, hilaremq. suo spem fingere vultu.
Quippe sua furor offundit caligine mentem,
Atque hominem propriæ trahit in discrimina vitæ.
Sic tu mordaci quando te carpere dente
Quis gaudet, prudens animi compesce dolorem.
Multi nempe ferunt, orbi iam luce nefandum
Arbitrium: at spernendo alios, spernuntur & ipsi.
Iusti fac semper quisquam te noscat amantem:
Cordi nanque fauent cœli pia numina sano;
Toruus & amplexus dulces dat mundus vbique
I faustis igitur ventis; formosus Apollo
Lux tibi sit. Charitesq. piæ, Musæq benignæ
Adsint, quo te cunque feras, quòcunque voceris:
Quocirca haud rarò nostras præconia rumor
Mittat in auriculas, celsis tibi parta triumphis,
Atque æterna tuum vigeat per sæcula nomen.

CHRI-

CHRISPOLTI ANTIQVI TREBIÆ
Ludi Litterarij publicè Præceptoris.

EPIGRAMMA
In laudem Admodum R.P. Magistri
PETRI VIRGILII DE CASCIA.

Gaudet vi sobolis mira nunc Iapetus ortum,
Phœbi cuius adit nomen vtramque domum.
Gaudet Subtilis fautorq. comesq. Magistri
Omnis ab ingenio captus, & arte PETRI.
Gaudet honoratus mersos caligine partus
SCOTVS ab eximio lumen habere viro.
Gaudet opus tandem supero quasi numine latum
Mundus, & Artificem terque, quaterque canit.
His, sed eum merito donant pia sydera, quando
Religionis honor, spesq. decorq. suæ est.
Turbida nam rutilans oculis si nubila Titan
Pellit, & excelsis itq. reditq. polis;
De celebri alta POLO ducens excorsa laboris
E dubijs nebulas mentibus ille fugat.



In laudem Admodum R. P. Magistri
PETRI VIRGILII DE CASSIA

MVTII PETRONII DE TREBIO
eiusdem Discipuli.

EPIGRAMMA.

CVm tua sit talis virtus Doctißime PETRE,
Terminus est illi paruus vterque POLVS.
Te docti nequeunt homines celebrare canendo:
Verbis namque negat gloria summa locum.
Famaque iam magnum deportat ad æthera nomen
Orbibus applaudens laudibus ipsa tuis.
Illa perennè canit, cunctisque ostendit honores,
Atque tuas laudes illa perennè canit.
Ipse potes dici SCOTI *sublimis Alumnus,*
Artis dum tanta culmina summa tenes:
Ars tua nam Phœbi fulgentis lumen adæquat
Ingens, dum radijs fulget vbique suis.
At magis vt Phœbo similem se præbeat alto,
Sub tam præclaro cernitur esse POLO.



PErlegi, ac maiori, quà potui diligentia de mandato Reuerendissimi Patris Magistri Michaelis Angeli à Sancto Mauro totius Ordinis Minorum Conuentualium Ministri Generalis examinaui Opus, quod inscribitur, *Contradictionum vmbra in Scoti doctrinam*, tum circa Logicales, tum circa Animasticas, ac Metaphysicales Quæstiones ab Adm. R. P. Magistro Petro Virgilij à Cassia summo studio, ac diligentia elaboratum, cumque nihil reppererim contra bonos mores, sanamque doctrinam, nihilque quod Catholicæ Fidei sit repugnans, quinimò concinne admodum viderim loca explicata, & conciliata, quæ prima facie contraria videbantur, dignum censeo ad communem Scotistarum vtilitatem typis posse mandari. In quorum fidem &c. Datum Assisij in Sacro Conuentu die 4. Iunij 1648.

Ego Fr. Lazarus de Montibus à Monte Nouo eiusd. Ordinis Artium, & Sacræ Theologiæ Doctor, & in Sacro Assisij Collegio Regens &c.

Locus † Sigilli.

FR. MICHAEL ANGELVS CATALANVS A S. MAVRO

Art. & Sacr. Theol. Doct. & Vniuersi Ord. Min. Conu. S. Francisci Minister Generalis.

OPus inſcriptum *Contradictionum Vmbræ in Scoti doctrinam*, à Patre Magiſtro Petro de Virgilijs à Caſsia Noſtri eiuſdem Ordinis elaboratum, examini commiſimus Patris Magiſtri Lazari de Monte Nouo, Noſtri Collegij Aſſiſienſis Regentis, cumque ab eius diligenti indagine nihil continere, quod ei ad prælum viam præcludat habeatur: vt prælo detur his Noſtris ſeruatis ſeruandis concedimus. Dat. Aſsiſij die 5. Iunij 1648.

Fr. M. Angelus Miniſt. Gen.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Bonauentura de Sextrio
Viceſecr. Ord.

Im-

Imprimatur.

Pro Illustrissimo, & Reuerendiss. Domino D. Horatio Monaldo Perusiæ Episcopo.

Felix Verducciolus Doct. Theol.

Imprimatur.

Cancellar. Sancti Officij Perusin. &c.

Catalogus Auctorum, qui in hoc Opere citantur.

A

Alexāder Aphrodiſeus.
Alexander Camponeneſius Ord.Min.Conu.
Alexander Portici Ordinis Min.Conu.
Antonius Andreas Ordin. Min.Conu.
Antonius Trombetta Ord. Min.Conu.
Antonius Syrectus Ordin. Min.Conu.
Antonius de Fantis Taruiſinus.
Ariſtoteles Stagirita.
Auerroes Commentator.
Auguſtinus Niphus Sueſs.
Auicenna.

B

Barolita ideſt, Paduanus de Graſſis Ordinis Min.Conu.
Bartholomeus Maſtrius Ord.Min.Conu.
Bernardinus Leonellus.
Bonauentura Merenda Ord.Min.Conu.

C

Conſtantius Sarnanus Cardinalis Eminentiſsimimus Ord. Minor. Conu.

F

Franciſcus Maironius Ord.Min.Conu.
Franciſcus Lichetus Ord. Min.Obſeruantiæ.
Franciſcus Sanſonius Ordinis Min.Conu.

G

Gaſpar de la Fuente Ord.Min. Regularis Obſeruantiæ.
Gabriel Terbus Veronenſis.
Gabriel Biel.

Go-

Gometius Hispanus Ord. Min. Conu.

H

HEnricus de Gandauo.
Hieronymus Balduinus.
Hieronymus Gadius Ord. Min. Conu.

I

IAcobinus Bargius Ord. Min.Conu.
Iacobus Pistonensis Ord. Minor. Regularis Obseruantiæ.
Ioannes Duns Scotus Doctor Subtil. Ord. Minor. Conu.
Ioannes Bassolius Ordin. Min.Conu.
Ioannes Canonicus Ord. Min. Conu.
Ioannes Vigerius Ordinis Min. Conu.
Ioannes Dudouet Ordin. Min. Conu.
Ioannes Anglicus Ordin. Min. Conu.
Ioannes Poncius Ordinis Min.

L

LAndulphus de Neapoli.
Laurentius Brixiensis.

M

MAttheus Ferchius Vegliensis Ord. Min. Conu.
Mauritius Hibernicus Ordinis Min. Conu.

N

NIcolaus Bonettus.
Nicolaus Nissa Ord. Min.
Nicolaus de Orbellis Ordinis Min.

P

PArisienses.
Paulus à Pergula Ord. Min. Conu.
Petrus Tattaretus Parisiensis.
Petrus Capulius Ord. Min. Conu.

Petrus de Aquila cognomento Scotellus Ord. Min.
Petrus Posnargnensis Ordinis Minor. Regularis Obseruantiæ.
Picus Mirandulanus.
Philippus Faber à Fauentia Ord. Min. Conu.
Philippus à Bagnacaballo Ord. Min. Conu.
Plato.

T

D. THomas de Aquino.

V

VIncentius Ciorla à Scanno Ord. Min. Conu.

CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex Quæstionibus Vniuersalium deprompta.

Contradictio Prima.

Petrus, & Carolus Franciscus eius Discipulus.

C.F. Consideranti mihi (Adm.R.P. dilectissimeq. Magister) animoq. reuoluenti diligentiam tuam in legendo, amoremq. præcipuum, quo nos discipulos prosequeris, charitatem in docendo, benignitatem in conuersando in mentem venit te rogandi, vt nonnulla loca D.S. quæ contraria sibi videntur, explanes, ac concilies.

P. Iusta quidem, ac honesta petitio, dilectissime Carole Francisce, at mihi difficillima, pœneq. impossibilis, minimus enim sum, ac inter Doctoris Subtilis asseclas infimum teneo locum; tua petitio longe meas excedit vires, ac in ipso exordio iam onere præssus deficerem, quare me excusatum habeas etiam, atque etiam rogo.

C.F. Esto onus graue sit, vt asseris dilectissime Magister,

prædicari tamen frequenter audiui, nil difficile fore volenti, nec tibi ita arduum puto inspectis lectionibus abs tè habitis, vndequaque Subtilissimi Doctoris doctrina confirmatis, enixè ergo rogo iustæ petitioni meæ satisfacias, quæso nè me cōtristes humiliter peto.

P. Iam dixi difficultatem; quia tamen adeo instanter petis, prò viribus tuæ petitioni satisfacere conabor, quare loca quæ tibi pugnantia videntur in medium affertò.

C.F. Immensas ergo gratias, at nè frustra tempus inutilibus verbis conteratur incipiam.

Contradictio Prima.

Doctor Subtilis quæst. 1. Vniuersalium manifeste ponit modum sciendi esse posteriorem ipsa scientia, seu scire: At 1.sent.dist.2.quest.2.de mete Philosophi 2. met.text.15. ponit oppositum, videlicet modum sciendi præcedere scientiam; quare si præcedit non subsequitur, & si subsequitur non præcedit, ergo euidens, & manifesta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Doctorem Subtilem sibi non contradicere, & ita esse attende duplicem prioritatem, ac posterioritatem; dari videlicet generationis, & perfectionis. Prioritas generationis est illa de quà loquitur Philosophus 9.met.dicens, Priora generatione esse posteriora secundum substantiam, ac perfectionem; è contrario vero posteriora generatione priora esse perfectione. Prioritas vero perfectionis est illa, quæ est métrum, idest mensura cuiuslibet generis, idest omnium con-

tentorum sub quolibet genere, ad cuius accessum omnia alia mensurantur: His ergo adnotatis ad adductam abs te contradictionem dico. In hac prima quæst. S. D. loquitur de posterioritate perfectionis; in primo autē loquitur de prioritate generationis, prout ex verbis ipsius Doctoris (quæ sunt ista) colligi potest. Quoniam, ait, secundum Philosophum 2. Meth. absurdum est quærere scientiam, & modum sciendi; ideo primo respondeo ad secundam quæstionem, quæ querit de modo cognoscendi istam &c. vbi clarè patet sè de dicta prioritate loqui; quare nulla adest contradictio in suis dictis.

Contradictio II.

C.F. Subtilis Doctor eadem prima quæst. Vniuersalium respondendo ad secundum argumentum; asserit Logicam esse scientiam speculatiuam, ait enim ad argumentum diuisionem illam esse scientiarum speculatiuarum realium; Logica vero rationalis scientia est; eandem doctrinam confirmat quæst. 4. Prologi, vbi habet prò inconuenienti concedere Logicam esse scientiam practicam; Verum 6. Methaph. oppositum dicit, videlicet esse scientiam practicam, ergo euidens contradictio in dictis Doctoris.

Conciliatio.

P. Resp. primo, negando adesse contradictionem aliquam in dictis Doctoris etenim aliquam scientiam dici practicam dupliciter potest considerari: vno modo proprie, & formaliter: alio modo improprie, & extensiue: quò stante dico D.S. in hac prima quæst. loqui-

tur priori modo; in Metaph. vero ſecundo modo, quare non contradicit ſibi.

C.F. Reſponſio hæc non mihi ſatisfacit, etenim Doctor vult in hac prima quæſt. Logicam deſeruire alijs ſcientijs, ſumitq. propriè, ergo ſi deſeruit propriè erit practica, & per conſequens contradictio.

P. Reſp. quod quamuis dirigat, non dirigit ad opus extra intellectum, quod requiritur ad praxim, prout diximus diſputatione prima Logicæ, ideo non ſequitur, quod ſit practica.

Reſp. ſecundo, S.D. in Methaphyſica loco à te adducto loquitur topice, & probabiliter, & ita eſſe attende ex verbis ipſius. Ad primum argumentum, ait, de Logica, poſſet dici, quod Logica eſt practica, quia non eſt tantum propter ſcire proprium, ſed propter ſcire directiuum in aliquo actu: quia enim in actu proprio diſcurſiuo poteſt errare, indiget habitu directiuo prius quam dirigat in alijs ſecundum Boetium ſuper Porph. ideo Logica poteſt dici prima practica, inuenta in extendendo nomen, quia tamen iſte habitus in quò dirigit non eſt ſpeculatio, ideo Logica propriè non eſt practica, non eſt enim finis eius veritas conſeſſe ſe habens appetitui recto, quæ veritas eſt finis practicæ in 6. Ethic. hæc D.S. vbi dilucidè sè declarat, nè dum non loqui ex profeſſo ex illis verbis licet poſſet concedi &c. verum etiam patefecit sè non loqui propriè, vt diximus in prima reſponſione, & hoc illis verbis, ideo Logica propriè non eſt practica: quare non extat contradictio in ſuis dictis.

Contradictio III.

C.F. Scotus hac ipſa quæſt. prima, diſtinguens Logicam

cam in docentem, & vtentem, negat Logicam vtentem esse scientiam. Verum quæst. 2. negat hanc doctrinam dum ait, Logicam esse sciẽtiam communem, quatenus ea, quæ considerat, cadunt in vsum aliarum scientiarum, quatenus, inquam, est Logica vtens: quare est aperta contradictio in dictis primæ, & secundæ quæstionis.

Conciliatio.

P. Pro solutione adductæ contradictionis debes animaduertere, dilectissime Carole Francisce, Logicam vtentem dupliciter spectari posse: vno modo prò habitu scientifico Logico per demonstrationem acquisito, quomodo vtimur in singulis scientijs diuidendo, definiendo, arguendo &c. & hoc modo non distinguitur à Logica docente, quinimmò est ipsa tota Logica docens, & hoc modo intelligitur S.D. quæst.2. vniuersalium: secundo modo spectari potest prò habitu acquisito ex frequenti argumentatione, siuè dubia sit, siuè certa, & hoc modo distinguitur iuxta ea, quæ habet ipse D.S. 1. Elenc. quæst.3. licet Logica, ait, quantum ad doctrinam sit ex communibus, diuersus tamen est vsus doctrinæ, quæ traditur in Dyalectica, & Demonstratione, nam Dyalectica est ex communibus, in singulis scientijs ad proprias conclusiones arguit ex communibus. Ostendit enim quod amor, & odium sint in eodem susceptibili per hoc medium; contraria nata sunt fieri circa idem; illa tamen pars Logicæ, quæ est demonstratiua in singulis scientijs arguit per proprium medium: hæc D. S. & quidem pulchrè, ex quò apparet sibi non contradicere: dum enim negat Logicam vtentem esse scientiam, loquitur

de

de Logica vtente secundo modo; dum verò affirmat esse scientiam communem, loquitur priori modo; quare sibi non contradicit &c. Obserua diligenter distinctionem hanc, nam per ipsam satisfieri potest obiectioni Balduini, quâ obijcit, si vtens non est scientia, nec docens erit scientia, cum sint vnus, ac idem habitus priori modo, non secundo, & ideo non valet Balduini ratiocinatio.

Contradictio IV.

C.F. S. D. quæst. 3. vniuersalium in assignandis conditionibus subiecti eas numero ternario claudit, videlicet, vt de subiecto præsupponatur quid, & quia; per eius quod quid est demonstrentur passiones de eo, & quod omnia considerata in illa scientia ad ipsum reducantur. At quæst. 3. Prologi §. de secundo dico; non videtur constare suæ doctrinæ, ibi enim multo plures assignat, videlicet, vt contineat virtualiter: secunda, vt non sit inclusum virtualiter in aliquo priori: tertia, vt subiectum sit primo notum: quarta, vt contineat secundum rationem formalem, & absolutam: quinta, vt habeat conceptum quidditatiuum: vltima, vt sit adequatum illi scientiæ cuius est subiectum.

Præterea q.1. Prologi reportatorum alias assignat conditiones, videlicet, vt sit scientiæ specificatiuum; vt sit ipsius dignificatiuum, vt de ipso omnia considerata in scientia dicantur; vt sit primum occurrens intellectui in illa scientia; quinta, vt possit esse subiectum principiorum scientiæ: sexta, vt eius passiones considerentur in illa scientia: ergo non solum tres conditiones: vel in his locis superflue illas assignauit.

Conci-

Conciliatio.

P. Resp. nullam esse contradictionem, nam Doct. in hac 3. quæst. loquitur de subiecto scientiæ generice, indifferenter; quæst. verò 3. Prologi, loquitur de subiecto scientiæ specificæ, & quidem speciei infimæ, scilicet speciei specialissimæ, prout peritiores Scotistæ adnotarunt, videlicet Petrus Tattaret. quæst. 1. 1. Physic. Maurit. quæst. 3. vniuers. Petrus Capul. 1. sentent. quæst. 1. Prol. punct. 1. Sarnan. quæst. 3. Doctiss. Faber Theor. 5. cap. 2. Gaspar de la Fuente quæst. 3. Logicæ difficultate 1. Petrus Postnayn. quæst. 3. Prologi art. 1. Gometius Hisp. in quæst. de subiecto cuiuslibet scientiæ. Iacobus Pistor. ad quæstion. 3. Prologi contrad. 2. & Doctissimus Magister mei Pater Magist. Bonauentura Merenda à Panormo disput. 2. Prol. art. 1. Pater Magist. Alexander ab Apposita, & Pater Magist. Franciscus Vignatus à Perusia Regentes mei dilectissimi; nec durum alicui videatur, si meos Regentes in medium affero, nam pium est, ait Hieronymus, manifestare per quos profeceris.

Ad id verò, quod addidisti ex reportatis, videlicet de conditionibus ibi assignatis, dico non esse alias ab assignatis quæst. 3. Prologi, quinimmò in illis contineri, benè enim sequitur; continet virtualiter, ergo est dignificatiuum, ergo est specificatiuum, ergo omnia alia propter ipsum, ergo est primo notum, quod occurrit in scientia, ergo potest esse subiectum principiorum illius scientiæ, ergo passiones eius in scientia considerantur, omnia enim ista necessariò sequuntur ad illam virtualem continentiam; quare nulla adest contradictio in dictis D.S.

Contra-

Contradictio V.

C.F. D.S. præfata quæst.3. vniuersalium dicit de subiecto debere præsupponi quid, nomine autem quid intelligit quid rei, prout ipsemet explicat 1.Meth.q.1. 2. Meth.q.3. 1.sent. dist.3.q.1. & 3.sent.dist.14. At 4.sent. dist.1. q.2. oppositum videtur asserere, docet enim ibi quid rei, seu quidditatiuam definitionem non esse omnium, sed solius substantiæ, & non cuiuscunque; sed præcisè speciei, scilicet infimæ. Vt subiectum non est infima species, ergo nec habet quid, & consequenter non debet præcognosci, & sic in dictis Doctoris Subtilis contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. primò, nullam adesse contradictionem in dictis Doctoris Subtilis, quodque ita esse, obserua, duplicem adesse modum definiendi. Vnus est proprijssimus, quem purè quidditatiuum vocant, cuius omnes partes pertinent ad quidditatem definiti, veluti est ista, homo est animal rationale. Alius verò modus vocatur per additamentum, quò scilicet additur aliquid extrinsecum definito; his ergò habitis, dico D.S. vbique benedicere absque contradictione, nam dum ait in quarto definitionem esse solius substantiæ, infimæque speciei, loquitur priori modo; dum verò hic dicit de subiecto &c. intelligendus est posteriori modo, quare non est contradictio in suis dictis; Vel

Resp. secundò, cum Mauritio adnotando quid rei dupliciter posse accipi, vel prò ipsa definitione, vel prò conceptu quidditatiuo, prò ipsa scilicet non repugnantia

gnantia ad definiri. D. S. in hac quæstione loquitur hoc modo, & in quarto primo modo, quare sibi non contradicit.

Contradictio VI.

C.F. Scotus dicta quæst. 3. vniuersalium applicando tertiam conditionem subiecti, ait syllogismum dialecticum, & demonstratiuum esse partes subiectiuas syllogismi, Elencum vero priuationem eius. At primo Elenc. quæst. 4. oppositum docet, vult enim ibi diuisionem syllogismi in topicum, & necessarium esse diuisionem accidentis in subiecta, ergo manifesta contradictio; alia enim est diuisio totius in partes subiectiuas, & alia accidentis in subiecta.

Conciliatio.

P. Prò solutione apparentis contradictionis debes obseruare syllogismum dupliciter accipi, videlicet prò formali, scilicet prò rè secũdæ intentionis; alio modo prò substrato, scilicet prò rè primæ intentionis; Cum ergo D.S. in hac tertia quæst. dicit syllogismum dialecticum &c. accipit syllogismum pro formali; Cum vero quæst. 4. Elenc. dicit, diuisionem &c. accipit illum prò substrato, & sic absque contradictione vbique verum dicit.

Contradictio VII.

C.F. D.S. iam citata quæst. 3. vniuersalium ʃ. ad secundum principale dicit, corpus mobile esse subiectum in naturali Philosophia, habet enim hæc verba. Vt

patet de subiecto naturalis scientiæ, quod est corpus mobile: At 6. Meth. quæst. 1. §. His visis, ponit corpus naturale, habet enim hæc verba, quæ pariter adduco. Vlterius eadem substantia corporea non contracta ad inferius, sed alio modo considerata, scilicet in quantum habens formam, quæ principium determinatæ operationis, & motus, & quietis habet multas passiones, sic sibi inherentes, & scibiles per viam sensus, ergo quo ad illas erit alia speculatiua, quæ dicitur Physica, siue naturalis, hæc Scotus. Sed clarius infra suam positionem manifestat dum ait. Respondeo, mobile significare aptitudinem ad motum, quæ aptitudo si intelligatur remota inest substantiæ Physicæ ex principijs proprijs substantialibus, itaque per istam determinationem non ponitur motus quomodocumque sumptus propria ratio formalis subiecti Physicæ, sed tantum contrahitur corpus ad considerationem sui quantum ad prima principia propria, in quantum principiant motum, hæc D. S. vnde euidenter apparet quomodo nolit motum esse rationem formalem subiecti Philosophiæ naturalis, cuius oppositum dixit hac tertia quæstione.

Conciliatio.

P. Respondeo dupliciter huic adductæ contradictioni; & Primo nego D. S. sibi contradicere; etenim dum in hac quæst. dicit, corpus mobile, &c. loquitur secundum opinionem aliorum, & incidentaliter, cum non sit proprius locus materiæ, quemadmodum sæpe facit in Logicis: At 6. Meth. ex professo tractat de natura Physicæ, merito determinat ipsius subiectum, quare sibi non contradicit.

C.F. Liceat, oro, mihi dilectissime Magister dicere vnum verbum. Hæc responsio mihi non satisfacit, potius videtur fuga, & sic velle saluare Doctorem.

P. Respondeo, non esse fugam, dilectiscime Discipule, multoties enim D.S. sequitur positionem communem, prout adnotarunt duo præclarissima lumina doctrinæ Scoti Mauritius, & Antonius de Fantis, hic in speculo rationalis disciplinæ, ille in vniuersalibus, & adnotationibus Metaphysicis frequenter; nec hoc debet quempiam perturbare, etenim, vt scribit Aristot. 1. Topic. cap.1. & 8. non inconuenit in locis, vbi non est propria materiæ determinatio probabiliter opinari, & aliquando cogentibus rationibus ad hominem problematicè determinare, nō autem iuxta propriam intentionem; id per sæpe peregisse Aristotilem demonstrat magnus Commentator Auerroes, præcipuè in prædicamentis, in prædicamento scilicet quantitatis, vbi Philosophus posuit locum esse speciem distinctam à superficie, & quod partes terminantur ad eundem terminum cum partibus corporis, quæ tamen non sunt secundum Philosophi sententiam, vt patet 4. Physicorum cap. de loco, vbi scribit Auerroes in Com. quod Ppilosophus posuit species secundum modum famosum in prædicamento quantitatis, quod ratione probatur non esse secundum Philosophi sententiam, nam locus nequit esse species à superficie distincta in prædicamento quantitatis, quia locus prò materiali non est alia species, vt testatur Philosophus 4. Physic. tex.com.39. quod locus est vltimum corporis continentis immobile primum, nec prò formali, nam nihil aliud est locus, quam circumscriptio actiua locantis, quæ dicitur respectus ad prædicamentum Vbi reductiuè pertinens.

Nec dici potest (vt nonnulli finxerunt) quod est species à loco distincta prò aggregato : tum quia quantitas non esset formaliter de absolutis, tum quia poneretur aggregatum per accidens in prædicamento, quod est impossibile; hæc ratio est demonstratiua, quare non est ad mentem Philosophi locum esse speciem distinctam à superficie in prædicamento quantitatis. Præterea idipsum patet in post prædicamentis, vbi Philosophus ponit motus esse distinctos, dicit enim Com. Aristotelem declinasse in sufficientia in hoc, cum non sit ipsius intentio, vt ostendat hic aliquid, nisi quod alteratio est præter reliquos motus: hæc Auer. sic etiam de contrarietate, quæ non non est in quantitate secundum Philosophum in prædicamentis, quæ tamen includit verum modum (teste eodem Philosopho 5. Physic.) contrarietatis.

Pariter 7. Physic. scribit raritatem, & densitatem esse qualitates consequẽtes calidum, & frigidum, cuius oppositũ ponit 1. Methaph. tex. com. 15. & dicit Auer. quod sunt de prædicamento situs, & hoc quia Philosophus loquebatur ad hominem, qui sic opinabatur; quare non est mirandum de D. S. si Peripatetico ordine multa extra proprium locum loquatur extra intentionem. Verum

Resp. secundo, iuxta doctrinam P. Fabri Theor. 20. Gometij Hispani in quæst. de subiecto cuiuslibet sciẽtiæ. Reuerendiss. Sansonij quæst. 2. Phys. vbi etiam citat P. Mag. Paulum à Pergula, hij inquam distingunt de mobilitate, videlicet quod dupliciter posit considerari mobilitas. Primò prò formali, quæ nihil aliud est nisi aptitudo ad motum; alio modo prò substrato seu fundamento: quà stante distinctione dico D. S. in hac quæst. loqui de mobili. Secundò modò, scilicet

pro

pro ſubſtrato, quod idem eſt, ac corpus naturale, vt ſubtiliter adnotarunt ſupradicti: hæc reſponſio elicitur ex Scoto 6. Meth. loco ſupra adducto, ſcilicet Reſpondeo, mobile ſignificat aptitudinem,&c. & ſic patet quomodo D. S. ſibi non contradicat.

Contradictio VIII.

C.F. Subtilis Doctor hac eadem quæſt.3.vniuerſalium, affirmat ſyllogiſmum habere quid rei: At 4. ſentent. diſt. 1. quæſt. 2. profitetur oppoſitum, docet enim ibi entia rationis non poſſe definiri; modo ſyllogiſmus eſt ens rationis,ergo nequit definiri,& per conſequens non habet quid rei; quare D. S. non conſtat in ſua doctrina.

Conciliatio.

P. Reſpondeo negando adeſſe contradictionem in dictis D. S. & hoc facilè percipies, ſi dicta ad quintam contradictionem in memoriam reuocabis, etiam D.S.in hac quæſt. loquitur de diffinibilibus per additamentum, *vti* eſt ſyllogiſmus,qui quidem nè dum habet quid nominis, verum etiam quid rei, eo modo quo res eſt: hic definitur ſyllogiſmus pro ſecunda intentione, at ſecundæ intentiones, modo Logico, vſitato ſunt definibiles, quare non adeſt contradictio in dictis D.S.

C.F. D.S.2.Methaph.habet hæc verba.Item de ſecundis intentionibus eſt hoc certum; quod certiſſimè definiuntur, hæc Scot. ergo ſtat contradictio.

P. Reſpondeo, non extare contradictionem, etenim Doctor Subtilis loquitur de diffinitione Logica, qua

ſcili-

ſcilicet vtitur Logicus, non definitione reali, ideoquę nulla extat contradictio, &c.

Contradictio IX.

C.F. Scotus hac ipſa 3. quæſt. vniuerſalium, dicit, ſecundam intentionem, conceptum formatum ab actu rationis, & ens rationis eſſe idem, nam impugnando tres opiniones aſſerentium ſecũdas intentiones, conceptum formatum ab actu rationis, & ens rationis eſſe Logicæ ſubiectum, habet hæc verba. Etiam non differunt iſtæ tres poſitiones inter ſe, quod manifeſtum eſt de prima, & ſecunda, de tertia autem probatur: hæc Scotus; ſi autem non differunt, ſunt idem. At 1. ſent. diſt. 23. oppoſitum docet, habet enim ibi. Ens rationis in plus ſe habere, quam ſecunda intentio; ens enim rationis eſt generaliſsimum, ſecunda intentio vero eſt genus ſubalternum, prout notauit Gabriel Zerbus 5. Meth. quæſt. 8. quare manifeſta contradictio.

Addo ſecunda intentio ſit actu collatiuo, non tamen ſequitur, quod ſi fiat ſecunda intentio tali actu, omne ens rationis fiat actu collatiuo, & maxime in ſua doctrina explicata ab ipſomet 4. Sententiar. diſt. 1. quod ſcilicet ipſa ſecunda intentio ſit comparatio paſsiua, ergo ens rationis non eſt idem cum ſecunda intentione, ergo contradictio.

Conciliatio.

P. Reſpondeo primo, apparentem eſſe contradictionem, tamen ſi conſideretur modus loquendi hac 3. quæſt. loquitur enim de ente rationis, quod eſt ſubiectum in Logica præcisè: in 4. verò Sentent. loquitur

de

ente rationis, vt eſt commune enti rationis Gramaticali, Rethorico, & Logico, quare D. S. eſt immunis à contradictione.

Reſpondeo ſecundo, ideo Doctor Subtilis dixit in hac quæſt. ens rationis &c. quoniam ille; qui ponebat ſecundam intentionem pro ſubiecto Logicæ, capiebat ſecundam intentionem, vt ſe extendit ad omne ens in Logica conſideratum, & talis ſecunda intentio verè conuertitur cum ente rationis, & ſic non contradicit ſibi.

Contradictio X.

C.F. Scotus hac eadem quæſt. vniuerſalium aſſerit ſyllogiſmum eſſe obiectum adequatum Logicæ: Huius oppoſitum docet primo Priorum quæſt. 2. vbi manifeſtè docet, non ſyllogiſmum, ſed modum ſciendi eſſe Logicæ adequatum obiectum, quare euidens, & manifeſta contradictio.

Conciliatio.

P. Reſpondeo primo, Doctorem Subtilem ſibi non contradicere, etenim, vt optimè obſeruauit lucidiſsimus Pater Faber, & poſt ipſum Veglenſis, libri Priorum non ſunt partus ipſius Doctoris, quicquid dicat Poncius in ipſum Fabrum; ſcilicet ſine fundamento negare, etenim non ſine fundamento negauit, nam intuenti ſtylum hic, & ibi, percipiet diuerſitatem ipſius ſtyli, ſtylus enim hic habitus vtrobique ſeruatur, ille verò in illis ſolummodo quæſtionibus, quare iure, & cum fundamento Faber negauit &c.

Reſpondeo ſecundo, dato illas quæſtiones eſſe Do-

ctoris Logicam dupliciter considerari posse; vno modo, prout tradita ab Aristotile: alio modo secundum quod tradi posset: Scotus hic loquitur priori modo, videlicet syllogismus est subiectum Logicæ traditæ ab Aristotele; primo Priorum vero loquitur posteriori modo, scilicet modus sciendi est subiectum adequatum Logicæ secundum quod tradi posset, & sic patet ex diuersitate modi loquendi Doctorem sibi non contradicere.

Respondeo tertio, duplex esse subiectum, videlicet materiale, & formale, D.S. hac tertia quæst. loquitur de materiali; secunda autem quæst. primo Priorum loquitur de formali, adeo vt syllogismus sub ratione modi sciendi sit logicæ subiectum.

Contradictio XI.

C.F. Subtilis Doctor quæst. 4. vniuersalium habet intellectum non operari nisi moueatur ab obiecto: Verum 2. Sent. dist. 12. quæst. 1. docet oppositum, docet enim ibi intellectum nostrum habere operationem, siue intellectionem circa materiam primam absque eo, quod effectiuè moueatur à materia prima ex defectu entitatis eiusdem materiæ, hoc est quoniam materia prima non est prædita sufficienti entitate ad mouendum intellectum, potest ab illo intelligi. Pariter D. O. M. propter excessum entitatis potest intelligi, ergo contradictio in suis dictis &c.

Conciliatio.

P. Ad solutionem allatæ contradictionis obserua, motionem esse duplicem, vnam propriam, quam vocant stri-

ſtrictè dictam, quæ ſua vì, ac efficacia mouet, & excitat intellectum ad actum intelligendi per ſe perſeitate tertij modi, & hoc modo vniuerſale, ſiuè quodcumque ens dicitur mouere intellectum: Aliam motionem vocant communiter, ſiuè large dictam, quod idem eſt, ac terminare actum intelligendi, & hoc modo mouere competit cuicumque enti; quà ſtante doctrina ad Contradictionem dico.

Cum Doctor Subtilis hac quæſt. 4. dicit intellectum non &c. loquitur de motione propriè dicta: At ſecundo ſententiarum loquitur de motione communiter dicta, prout adnotarũt ſubtiliſſimi interpretes Ioannes Anglicus, & Mauritius quæſt. citata, quare eſt immunis à Contradictione.

Contradictio XII.

C.F. Doctor Subtilis præcitata quæſt. 4. ait, mouere eſſe entis in actu, at hoc in ſua doctrina videtur falſum; concedit enim ſingulas quidditates habentes ſolum eſſe in potentia obiectiua, veluti ſunt Tonitrui, Ecclipſis, Stellæ, Cometæ, Roſæ producendæ in Æſtate, poſito quod nulla ſit in rerum natura, tamen mouent intellectum ad notitiam, & ſcientiam, & non ſunt in actu, ſed in potentia; ergo mouere non eſt entis in actu, vt hic dicit.

Conciliatio.

P. Prò ſolutione apparentis difficultatis, ſeù contradictionis debes adnotare duplex eſſe mouere, ſeu duplicem eſſe actum motiuum, videlicet Phyſicum, & Methaphyſicum. Actus motiuus Phyſicus eſt, qui

terminat potentiam obiectiuam mediante virtute alicuius agentis deducentis effectum, aut productum de potentia ad actum. Actus verò Methaphysicus dicitur formalis, entitatiuus, seu quidditatiuus, quali modo ipse Doctor Subtilis in quæst. 28. Vniuersalium dicit, quod actus, qualitas, & forma idem sunt, & hoc modo quæcumque quidditas, siuè sit realis, idest methaphysicalis, siuè rationis, idest logicalis, potest dici esse in actu, idest non est nihil, vel ens prohibitum, sed est ens ratum, & firmum, & in esse quidditatiuo constitutum; quare ad Contradictionem dico, Doctorem Subtilem hic loqui de actu methaphysico, alibi verò loquitur de actu physico, ideo non sibi contradicit.

Contradictio XIII.

C.F. Scotus quæst. 4. Vniuersalium habet, vniuersale esse ens ex eo, quod est ratio, seu modus intelligendi omne intelligibile; idipsum habet in sequenti quæstione de intelligibilitate ipsius; pariter 2. Sentent. dist. 1. quæst. 5. dicit hoc vniuersaliter de secundis intentionibus, immò (quod fortiùs est) dicit, quod sunt modi intelligendi primas intentiones in primo actu. Verum huic doctrinæ videtur repugnare in 3. quæst. Vniuersalium, vbi docet, secundas intentiones causari, vel derelinqui actu collatiuo, qui præsupponit actum simplicem circa extrema comparata, & præcognita, quibus habitis sic formo rationem ad patefaciendam contradictionem. Nihil est modus, nec ratio intelligendi antequam sit, vt ipsemet D. S. docet 2. Sentent. dist. 2. quæst. 10. in simili; sed vniuersale ante cognitionem quidditatiuam realium non

habet

habet esse ; ergo in illo priori nec est ratio, nec modus intelligendi ; quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Ad solutionem huius apparentis cōtradictionis plura debes obseruare, & Primò obserua, cognitionem esse duplicem, confusam vnam; distinctam alteram; confusam voco, quâ aliquid cognoscimus vti exprimitur per definitum: distinctam verò, quâ per definitionem declaratur.

Obserua secundò, idem intelligibile apud diuersos, diuersimodè cognosci, v.g. homo apud diuersos scientificos, diuersam habet cognoscibilitatem: concipitur enim à Methaphysico, Physico, Logico, Astrologo, siuè Geometra, diuersimodè tamen, nam à Methaphysico concipitur vt quidditas, vel ens; à Physico, vt compositum ex materia, & forma, vel vt corpus naturale &c. à Geometra, seu Astrologo, vt subijcitur passionibus eorum; à Logico, vt species, vel definitum, vel subiectum, & huiusmodi: Hinc D.S. 2. dist 3. quæst. 1. in solutione principalis dicit, quod quidditas realis, vel quæcumque, vt talis, nè dum est indifferens ad esse vniuersale, & singulare, sed est ipsa habens esse in intellectu, non habet ex se primo vniuersalitatem; esto enim intelligatur sub vniuersalitate, tamen vniuersalitas non est pars conceptus eius primi, quia non est conceptus Methaphysici, sed Logici, Logicus enim considerat secundas intentiones applicatas primis. Prima ergo intellectio, vel intentio est ipsius naturæ, vt non communicetur aliquis modus, licet eius intellecti modus intelligendi

sit vniuersalitas; sed non modus intellecti, vel intellectus, vt habet Auicenna.

Obserua tertiò, quod ea, quæ apud nos sunt principia operationis, apud primos inuentores erant finis, & operatum; v.g. nomen, vel verbum apud Grammaticum est principium quò operatur iste operarius, & sic de alijs modis significandi, sunt principia discernendi dictiones significatiuas intelligendi ipsas.

His ergo adnotatis ad rem, D.S. hac 4. quæst. Vniuersalium loquitur de modi intelligendi distinctè, & Logicæ præsupponente inuentionem, seu fabricationem secundarum intentionum; Logicus enim habet istas intentiones tamquam prima, & prius nota; & quilibet alius artificialiter intelligens: intelligit ergò hominem, v.g. sub ratione vniuersalis, vel superioris; & sic de alijs, & esto intelligat singulare, non tamen sub propria ratione singularitatis, vt in Methaphysica dictum est.

Addo D.S. hac quæst. 4. loqui de vniuersali aptitudinaliter, vel in potentia propinqua, vel de specie intelligibili quæ apud ipsum vniuersale dici potest.

C.F. Magister id repugnat Doctori Subtili præcitatæ quæst. 4. vbi protestatus est se velle differere de vniuersali pro secunda intentione, quare non benè sequitur, quod loquatur de vniuersali in potentia propinqua &c.

P. Esto D. S. talem protestationem fecerit, hoc fecit vt in pluribus, at non semper, adeo vt aliquando non loquatur de vniuersali pro prima intentione. Breuiter ergo dicò propositionem D.S. locum habere de logicali cognitione; Et cum subiungis, nihil est ratio intelligendi &c. concedo; Et cum vltra infers, secundas intentiones præsupponere cognitionem

ex-

extremorum; Dico id verum esse in primo inuentore, & sic apparet D.S. sibi non contradicere.

C.F. Non nè secundæ intentiones fabricantur à quocumque artifice? non ergo à solo primo inuentore.

P. Resp. distinguendo antecedens, scilicet verum esse confusè, & non distinctè, & ideo non sequitur &c.

Contradictio XIV.

C.F. D. S. quæst. 5. Vniuersalium, in solutione secundi argumenti dicit, intellectum possibilem esse virtutem passiuam; habet enim hæc verba. Ad secundum dicitur, quod est virtus passiua: At quæst. 15. Quol. de directo reijcit hanc doctrinam cum ibi doceat intellectum possibilem esse virtutem actiuam, quare sibi aduersatur.

Conciliatio.

P. Respondeo tripliciter, & primò dico, hic D.S. loqui famosè, & secundum opinionem aliorum, cum non sit locus proprius materiæ, prout supra dictum est; ideoque non determinat se, cumque loqui secundum opinionem ex à te adductis verbis deduco. Ad secundum dicitur: hoc enim verbo vtitur D.S. quotiescumque aliquid dicit de mente aliorum: At quando aliqua dicit ex proprio Marte vtitur his verbis, dico: Respondeo, dicendum, prout animaduertit Sarnanus; & quando aliqua dicit probabiliter, dicit. Potest dici, &c. & ideo non extat contradictio in sua doctrina.

Respondeo secundò, Scotum quæst. 15. problematicè incedere, & ob id argumenta pro vtraque parte

soluit,

soluit, quare non est contradictio in suis dictis.

Respondeo tertiò, diuersi modè esse intelligendum intellectum possibilem esse passiuum, prout recipit est passiuus, iuxta illud Philosophi intelligere est pati: At verò, vt dicit, & operatur est actiuus, in hac quæst. loquitur priori modo, & quæst. 15. Quol. secundo modo, & ideo non adest contradictio in suis dictis.

Contradictio XV.

C.F. Scotus quæst. 8. Vniuersalium docet, genus non esse magis vniuersale, quia magis dicit intentionem formæ, cui adiungitur, sed est quodammodo maius vniuersale, quia extenditur ad plura, quemadmodum quaternarius est maior numero binario non magis. At hanc doctrinam videtur destruere eadem quæst. vbi habet genus esse magis vniuersale, dicit enim sic. Igitur logicè loquendo vniuersale, poterit esse genus istorum quinque, licet genus sit aliquo modo perfectius alijs; quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Respondeo pro solutione adductæ contradictionis, distinguendo de duplici perfectione: Vna est positiua, & intensiua: alia extensiua: Dum ergo D. S. negat, intelligendus est de perfectione priori modo: dum verò concedit loquitur de perfectione posteriori modo, scilicet extensiuè, & ita liberatur à contradictione.

Con-

Contradictio XVI.

C.F. D.S. vbi supra quæst. adducta inter asserendum genus non esse magis vniuersale, sed maius videtur in eadem loquutione sibi contrarius, nam magis, & maius idem significant per locum à casibus valet argumentum ab vno ad aliud veluti sequitur iustum est bonum, ergo quod iustè fit, benè fit: ita hic genus est maius vniuersale, ergo magis vniuersale, ergo in eadem simplici loquutione Doctor sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Pro conciliatione huius contradictionis debes nonnulla obseruare, & primò inter magis, & minus, & maius, & minus, esse quidem conuenientiam (vtrobique enim fit comparatio) at non quamcumque, sed disquiparantiæ.

Secundò obser. quadruplicem differentiam intercedere inter magis, & maius: Prior est, maius dicit comparationem duorum ad inuicem præcisè: magis verò in ordine ad tertium. Exemplum primi comparando bipalmare ad palmare. Exemplum secundi, comparando genus, & speciem ad vniuersale. Secunda differentia, maius cum sit nomen, significat quidditatem, vel formam; magis verò, cum sit aduerbium, significat modum formæ. Tertia, maius dicitur de ipsa forma, magis verò de participantibus formam. Vltima differentia, quod maius præsupponitur magis, & non è contra. Ex his dico, quod esto inter magis, & maius sit præfata conuenientia disquiparantiæ, non tamen significant idem, nec argumentum

tum abs te adductum conualidat, contradictionem; etenim locus à casibus tenet, cum ly, magis in suscipientibus intentionem veluti non sunt intentiones. Diximus etiam quarta differentia, vbi est magis, ibi est maius,& non è contra, prout de quantitate maius molis, magis verò virtutem quantitatem concernit, quare Doctor est immunis à contradictione.

Contradictio XVII.

C.F. Scot.quæst.8. Vniuers. ait Logicum considerare secundas intentiones, vt concernunt concretionem ad subiectum, & fundamentum: At 7.Meth.quæst.18. vult vniuersale esse in intellectu, non in re, & non præcisè tanquam in efficiente, sed subiectiuè: Et Quol. 3. dicit entia rationis non posse esse extra intellectum,& similiter intentiones Logicas, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Ad tollendam apparentem contradictionem, attende doctrinam D. S. in his quæstionibus, videlicet triplicem modum considerandi ipsum vniuersale, quatenus inquam consideratur à Methaphysico, scilicet secundum esse quidditatiuum,vel secundum esse materiale,vt ipsum considerat Physicus, & secundum esse cognitum, vt considerat Logicus. Dum ergo 7. Methaph. negat vniuersale &c. intendit vniuersale Logicum, non esse in re, prout res consideratur à Physico,& Matematico; modo iam dicto, quo modo etiam debet intelligi quæst. 3. Quol. In Logica verò intendit asserere esse in re, eo modo quo rem consi-

derat

derat Logicus videlicet ſecundum eſſe cognitum, & ideo non adeſt contradictio in ſuis dictis.

Contradictio XVIII.

C.P. D.S. eadem quæſt.8.vniuerſ.concedit hanc propoſitionem ſpecies eſt intentionale: At hoc videtur repugnare illi, quod docet in eadem quæſt. videlicet, non eſſe concedendam iſtam homo eſt intentionale, benè enim ſequitur homo eſt ſpecies, ergo eſt intentionale, veluti ſequitur iſta homo eſt albus, ergo homo eſt coloratus &c.

Conciliatio.

P. Dupliciter adductæ contradictioni reſpondeo; & primo, D.S. non negare hanc prædicationem, homo eſt intentionale, ſed negare eam de forma valere propter accidens, nam aliter arguitur hic, homo eſt ſpecies, & ſpecies eſt intentionale, ergo homo eſt intentionalis,& ideò non eſt cõtradictio in ſuis dictis.

Reſp. ſecundo, negando illam prædicationem valere non ſolum ob dictam cauſam, verum etiam quia hoc prædicatum intentionale, vel eſt æquiuocum, vel ſi in vno ſenſu ſumatur, adhuc eſt concretum valde abſtractum à concernentia propinqua ad ſubiectum; nec cauſatur à proprietate rei immediatè, ſed abſtrahitur à ſic originatis, hocq.eſt etiã verum in concretis accidentium realiũ; eſto inquam concedatur, quod homo eſt albus, vel coloratus, non tamen quod ſit qualis: At dum concedit debet intelligi, vt concretum propinquum in intentionibus, ſcilicet, vt ſpecies, quare ſibi non contradicit.

Contradictio XIX.

C.F. S.D. quæst. 12. vniuers. assignando numerum vniuersalium, numero quinario claudit, nec plura, aut pauciora assignanda esse. Verum primo, Report. dist. 35. quæst. 2. hanc doctrinam manifestè destruit, dum ait, omne Vniuersale reduci, vel ad genus, vel ad speciem, ergo duo tantum vniuersalia, & non quinque, & sic contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp. non adesse contradictionem in dictis Doctoris, nam vt protestatur quæst. 4. Vniuersalium, dum loquitur de Vniuersalibus, loquitur de vniuersalibus pro secunda intentione, in primo vero reportatorum pro prima intentione, & ideo non adest contradictio in sua doctrina.

Contradictio XX.

C.F. Scot. quæst. 13. Vniuersalium, habet modos significandi grammaticales causare falsitatem quando sunt circa idem significatum, vt albedo est alba, quamuis non quando sunt circa diuersa. Oppositum habet 3. quæst. quol. vbi concedit inhærentiam seipsa inhærere fundamento. Eandem doctrinam habet in 2. dist. 1. quæst. 5. & in 4. dist. 12. quæst. 3. ergo manifestè sibi contradicit, nam si causant falsitatem quando sunt circa significatum, hæc non est vera inherentia inhæret, similitudo similis, ergo non seipsa inhæret: quare sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. duobus modis, & primo, D. S. in Logica loqui de rigore sermonis, & sic illa est falsa inhærentia inhæret, & similes. At 3. quæst. quolib. & alibi à te assignatis locis loquitur communiter, & sic non aduersatur suæ doctrinæ.

Resp. secundo. Aliam rationem esse in absolutis, aliam vero in relatiuis: hic loquitur de absolutis, scilicet, albedo prout ens absolutum si dicatur alba respectu eiusdem, est falsa, 3. quæst. quol. verò, & alibi loquitur de relatiua inhærentia, & sic saluatur Doctor à contradictione.

Contradictio XXI.

C.F. D. S. eadem quæst. 13. Vniuers. habet, Patrem esse causam Filij, habet enim hæc verba. Ad quæstionem dicendum, quod propositio (scilicet, Patria est principium generationis) est vera si attendatur similitudo quoad genus causæ, quia vtrumque est in genere causæ efficientis; & subdit, nam Pater est per se efficiens: Oppositum docet in 1. dist. 3. quæst. 7. & in 2. dist. 25. dum habet relationem causæ, & causati arguere non modo distinctionem realem, sed etiam in esse, & natura, modo constat Patrem non distingui natura à Filio; Pater enim est qui produxit Filium in natura intellectuali, vel sensitiua sibi similem, & hoc de sui substantia. Paternitas verò est habitudo producentis naturaliter similis producto in natura tali quare euidens contradictio in Doctore Subtili.

Conciliatio.

P. Resp. Pro conciliatione adductæ contradictionis, dilectissime Discipule, debes recurrere ad ea, quæ diximus in prima disputatione tractatu de causis, videlicet, causam dupliciter posse considerari; Vno modo propriè, & in rigore, alio modo impropriè, & extensiuè, prout in quam se extendit ad producens: quo adnot ato dico, Doctorem Subtilem in hac 13. quæstione, sumere causam in hoc secundo modo extendendo, scilicet. nomen causæ ad illud, quod est generans, vel producens etiam effectiuè: in 3. dist. 1. & dist. 25. 2. verò loquitur priori modo de causa inquam in rigore, & sic saluatur à contradictione noster Subtilissimus Doctor.

Contradictio XXII.

C.F. S.D. quæst. 14. Vniuersalium, §. ad primum principale dicit, intentionem prædicari in quid de re: At oppositum docuit in quæstionibus superioribus, in quibus docuit intentiones non prædicari, nisi per accidens: At prædicari in quid, & prædicari per accidens, sunt oppositi modi prædicandi, ergo si prædicatur in quid, non per accidens, & si per accidens, non in quid, & per consequens sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. S.D. sibi non contradicere, nam aliter hic, & aliter supra loquutus est, hic enim sumit prædicari in quid, vt, ly, in quid determinat inhærens, quoniam te-

tenetur à parte prædicati,& certum est, quod genus, quod est secunda intentio (cum quidditas in eius definitione ponatur) est vnum prædicatum in quid: At vt, ly, in quid determinat inhærentiam, non prædicatur quidditatiuè de re,sed per accidens. Cum ergo Subtilis Doctor hic ait,intentionem prædicari &c. intelligendus est, vt determinat inhærens: cum verò negat,vt determinat inhærentiam, quare sibi non contradicit.

Contradictio XXIII.

C.F. Scotus quæst. 15. Vniuersalium, in solutione quæstionis impugnat positionem dicentium definitionem generis esse descriptiuam, in qua impugnatione videtur contrariare suæ doctrinæ, tum quæst. 19. quol. vbi habet definitionem quid rei esse orationem longam compositam ex genere proprio, & differentijs essentialibus significantibus partes essentiales definiti, & esse tantum nominum absolutorum significantium tantum composita essentialia, scilicet, ex materia, & forma composita, v.g. homo leo &c. Definitio verò exprimens quid nominis, quæ est oratio explicitè declarans quid per vnam dictionem importatur,est nominum cõnotatiuorum,& relatiuoruom, quæ significant vnum in recto, & aliud in obliqu,vt album, calidum &c. quare cum genus non sit substantia composita ex materia, & forma, non res extra animam, nec absolutum, sed connotatiuum, vel relatiuum propriè non definietur, sed solum describetur, aut definietur definitione,quid nominis,quare non potest Doctor saluari à contradictione euidenti.

Accedit doctrina quam habet D. S. in 4. distinct. 1. quæst.

quæst. 2. vbi vult, quod id, quod definitur sit ens reale, ergo repugnat generi definiri.

Conciliatio.

P. Resp. Pro solutione præsentis contradictionis reuocanda sunt in memoriam dicta in solutione contradictionis octauæ, videlicet, de duplici modo definiendi &c. quælibet enim res suum habet quid suoque modo: res autem multipliciter sumi potest, teste D.S. quæst. 3. quol. vbi videre est, pro nunc sumimus rem pro omni positiuo, quod non est nihil; in omni autem genere est res, & vti res, ita & quid; esto ergo antonomaticè substantiæ sit definitio, sicut & quid; est tamen etiam aliorum suo modo veluti profitetur Philosophus 7. meth. t. 13. & 15. quare cum Doct. impugnat opinionem, benè impugnat absque nota contradictionis, vult enim genus habere suum quid suo modo; cum verò dicit definitio non est nisi præcisè absolutorum, loquitur de definitione proprijssime sumpta, veluti etiam in 4. dist. 1. &c. à te] adducto, vt diximus etiam in solutione citatæ contradictionis.

Contradictio XXIV.

C.F. D.S. eadem quæst. 15. in solutione quæstionis habet in definitione generis poni differentibus specie, & in quid vti differentiæ huius, quod est prædicari de pluribus, & vt constitutiuè ipsius generis, prout ex ipsa littera, quæ talis est, patet, Ponitur (inquit) genus eius, postea ponitur differentibus specie, & in quid, quæ sunt per se differentiæ generis: hæc Scot.

At in fine eiusdem quæstionis, quasi huius oblitus in solutione vltimi argumenti dicit poni, vt expositio adduco textum ipsius. Ad textum dico, quod differentibus specie est expositio, non ponitur ibi, vt partes diuersæ, vt dicendo de pluribus, idest de simul pluribus, quod differentibus specie. Hæc D.S. Vnde euidens apparet contradictio, nam si ponitur, vt expositio, non ponitur, vt constitutiuum generis; Vel si ponitur, vt constitutiuum, non ponitur vt expositio.

Conciliatio.

P. Resp. Nullam adesse contradictionẽ nam dicta D.S. sano modo sunt consideranda: dicit inquam in se, & absolutè non poni, vt partes diuersas, eo modo quo genus, & differentia in definitione; ponuntur enim circumloquutoria generis proximi, & ideo vnum est specificans, & reliquum explicans; attamen ipsa inter se comparata, idest comparatiuè, sunt diuersa, sicut magis commune, & minus commune, quamquam in comparatione ad vltimam differentiam se habeant, vt vnum, quare non est contradictio.

Contradictio XXV.

C.F. Scot. prædicta quæst. 15. Vniuersalium habet quod maior vnitas est in intentionibus, quam in fundamentis, estò ab illa accipiatur: quam doctrinam videtur destruere in 2. sent. dist. 1. & 4. dist. 10. & 10. quæst. quol. quibus in locis habet cum vnitate prioris stare multiplicationem posterioris, & non è contra; At fundamenta intentionum, vt patet, sunt priora, ergo ipsis plurificatis proportionaliter plurificantur intentiones:

tiones : imò ipſis non plurificatis adhuc poſſunt plurificari intentiones iuxta dictam doctrinam, quare non erit maior vnitas in intentionibus, quam in fundamentis, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. Pro ſolutione huius contradictionis, debes obſeruare poſterius multiplicare ſine multiplicatione prioris dupliciter contingere : vno modo numeraliter; alio modo ſpecificè : priori modo regula Doctoris eſt vbique vera, at non ſpecificè, etenim non oportet locum ſcamni, & hominis ſint alterius ſpeciei, eſto ſint alij numeraliter, & ſic verum eſt, quod alia, & alia intentio eſt in alio, & alio fundamento, & ſic non alterius rationis, ſed eiuſdem quo modo intelligit Doctor ſuum dictum in hac quæſt. 15. in alijs verò locis priori modo, ideo non adeſt contradictio.

Addo in eodem fundamento ſaltem remoto, poſſe eſſe plures intentiones, etiam alterius rationis, & ideo reperietur maior vnitas &c.

Contradictio XXVI.

C.F. D.S. præcitata quæſt. 15. Vniuerſalium, reſpondendo ad illam propoſitionem, quod omne accidens debeat definiri per ſubſtantiam, dicit veram eſſe de paſſione reali, quæ egreditur de principijs ſubiecti, de qua loquitur Ariſtoteles, quæ eſt de ſubiecto demonſtrabilis, cuiuſmodi non eſt intentio, quia eſt effectiuè ab intellectu, ex quo colligitur, quod cauſa cur accidens definiatur per ſubſtantiam, eſt quia nedum eſt

cauſa

causa efficiens ipsius, verum etiam materia in qua. At 7.Met. quæst.4. & 4. sentent.dist.12.quæst.1.habet oppositum, eo vel maximè quoniam poneretur Deus in definitione cuiuslibet creati,quam substantia,cum ad Deum sit dependentia essentialis simpliciter. Accidentis verò ad substantiam in ratione efficientis essentialis secundum quid,& maximè absoluti; quare euidenter sibi contradicit. Addo id,quod habet ipsemet Doctor q.3.q.1ol. quelibet res habet suum quid. At accidens est res, ergo habet suum quid, ergo per illud definietur,& consequenter non per substantiam, ergo manifesta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. dupliciter huic contradictioni, & primo negando dictum logice repugnare alibi dictis: accidentia namque realia definiuntur per substantiam, quia habent esse per ipsam, & in ratione substentantis, susceptiui, & efficientis: Intentiones verò non magis habent esse per substãtiam,quam per res aliorum generum, & si quæ fundantur in ipsa, hoc est in quantum habent esse in intellectu, & sic verum est, quod totum suum esse habent ab intellectu formaliter; & aduerte non negari fundamenta debere poni in definitionibus accidentium intẽtionalium, eo modo, quo habent esse per ipsa, vel in ipsis; vt manifestum est in definitione generis; Genus est quod &c.vbi per ly quod, intelligitur fundamentum generis, & ideo non est contradictio.

Resp.secundo,supponendo distinctionem quam habet D. S. 7.Met. loco abs te adducto, & alibi, videlicet, definitionem esse duplicem, vnam quam vo-

cant Logicam, Metaphysicam alteram; Definitio Logica ea est, quæ dicitur per additamentum, in qua scilicet additur aliquod extrinsecū definito, & tali definitione definiuntur omnes secundæ intentiones, & accidentia tum respectiua, tum absoluta, cum non possit definiri accidens completa definitione quietante intellectum sine termino suæ dependentiæ, qui est subiectum: Definitio vero Metaphysica est illa, quæ dicitur purè quidditatiua, quæ habet omnes cōditiones assignatas ab ipso Scoto 4.dist.1. quæst.2. vt supra dictum est §. De primo principali, & eas in gratiam iuuenum hic refero. Prima ergo est, vt sit ens positiuum, & per hanc conditionem excluduntur priuationes negationes &c.

Secunda, vt sit ens per se vnum, ex qua excluduntur entia per accidens, vt homo albus &c.

Tertia, vt sit ens reale, idest, cui non repugnet habere verum esse, & per hanc excluduntur secundæ intentiones, entia rationis, quæ sola definitione additamentali definiuntur.

Quarta, vt sit vniuersale, & per hanc excluduntur singularia, quorum differentiæ nequeunt dici quidditates cum de ratione quidditatis sit, vt sit communicabilis.

Quinta, & vltima, vt sit compositū, idest, vt non sit simpliciter simplex, & per hanc excluduntur simpliciter simplicia, videlicet, ens differentiæ vltimæ, propriéq. passiones: his ergo obseruatis dico non adesse contradictionem; nam hic loquitur de definitione Logica modo perexposito, alibi vero de definitione Metaphysica.

Contra-

Contradictio XXVII.

C.F. Scotus quæst.16.Vniuersalium, docet genus sumi ab aliquo materiali in specie:habet enim hæc verba. Nota,quod genus sumitur ab aliquo materiali in specie, & illud primo importat de suo intellectu determinato,non tamen per modum partis illud significat, sed per modum totius. Verum huic doctrinæ repugnat in 1.sent.dist.8.quæst.2. ponit substantias immateriales in prædicamento. At in illis non potest sumi genus ab aliquo materiali, ergo contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp.ex verbis D. S. non enim ait absolutè debere sumi à materiali, sed ait ab aliquo, idest habente se in ordine ad illud à quo sumitur differentia proportionaliter materiæ respectu formæ, neque id, quod adducitur de substantijs immaterialibus est satis ad inducendam contradictionem, cum in ipsis teste D.S. 1.sent. dist. 8. q.1. reperiatur aliqua realitas potentialis, quæ innuit aliquo modo materiam;quare constat in dictis D.S. non adesse contradictionem.

Posset secundo responderi in opinione Nissæ,quem sequuntur nonnulli moderni Scotistæ, ex Scoto q.15. de Anima,& secundo sent.dist.17.videlicet, substantias separatas non esse expertes omninò materiæ; & ideo etiam in ipsis sumitur ab aliquo materiali: At hanc responsionem in tractatu de Angelis pluribus locis ipsius Scoti ostendimus esse alienam ab ipso

Scoto, veluti etiam in contradictionibus animasticis monstrabimus.

Contradictio XXVIII.

C.F. D.S.eadem quæst.16.Vniuersalium,dicit intensiuè, totum animal esse in homine,&ita in alijs speciebus, vnde videtur asserere; quod homo non sit perfectius animal quam leo, equus &c. Oppositum huius doctrinæ habet in 1.dist.8.quæst.3. respondendo ad tertium argumentum Henrici,dicit sic, non enim homo est perfectior homo quam asinus, sed perfectius animal,quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. dupliciter, & primo distinguendo hominem esse perfectius animal, dupliciter posse intelligi; vno modo in ratione animalis; aliò modo in ratione differentiæ vltimæ ipsum contrahentis: qua habita distinctione dico, Doctorem Subtilem in hac quæst.16. Vniuersalium, loqui primo modo, videlicet, in ratione animalis; In primo vero sententiarum in ratione vltimæ differentiæ contrahentis, Idest contrahitur homo perfectiori modo quam asinus:hanc distinctionem innuit Doctor Subtilis eadem quæst.3. contra istam vniuocationem entis: quare sibi non contradicit &c.

Resp. secundo, hominem esse perfectius animal, dupliciter posse intelligi vno modo in ratione signati, seu signabilis: alio modo in ratione signi: cum ergo Doctor in hac quæstione negat hominem &c. accipit hominem in ratione signi: in primo verò in

ra-

ratione signati, & ideo nulla adest contradictio in dictis ipsius doctoris.

Contradictio XXIX.

C.F. Scotus quæst. 17. Vniuersalium dicit, quod intentiones differunt tantum materialiter, & per consequens numeraliter. At hoc in sua doctrina videtur falsum, quoniam in intentionibus est ordo, & genera, & species, suoq. modo etiam quid, prout ipsemet docet in prædicamentis; & alibi sæpè, quare euidenter sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. Nullam adesse contradictionem, nam dupliciter possumus distinctionem considerare, vno modo quoad nos, quæ notior nobis dicitur: alio modo in se, seu secundum se: hoc stante dico Doctorem in hac 17. quæst. loqui de distinctione nobis notiori, vti etiam relationes reales distinguuntur: alibi verò loquitur de distinctione in se, quare ab eo tollitur contradictio.

Contradictio XXX.

C.F. D.S. quæst. 18. Vniuersalium, docet definitionem generis dari per aptitudinem sub illis verbis. Potest igitur dici ad quæstionem, quod ad rationem generis requiritur, quod multas habeat actu species, non quæ existant actu, vel potentia, sed quod tantum actu concipiatur per speciem intelligibilem ab indiuiduis acceptam, quandoque existentibus, & quod actu

habeat

habeat aptitudinem participandi genus. At hoc aduersatur suis dictis, videlicet, quæst. 15. vbi habet esse veram, & quidditatiuam definitionem, ergo non per aptitudinem quare manifesta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. & pro responsione præmitto duplex esse ens, aliud actuale, aliud verò aptitudinale, hoc stante dico entis aptitudinalis, quale est genus, assignari definitionem aptitudinalem; & cum adducis Doctorem in Contradictione 5. quia est definitio quidditatiua. Dico, quod est quidditatiua suo modo, prout supra explicatum est, & ob id non adest contradictio.

C.F. Relatiuum generis est actuale, ergo requirit terminum in actu, ergo non aptitudine.

P. Resp. verum esse de actu cognito, non autem in actuali existentia.

Contradictio XXXI.

C.F. Scot. citata quæst. 18. Vniuersalium, adducit tale argumentũ pro secunda opinione, si aliquid est aptum natum dici de pluribus differentibus specie, ergo plura differentia specie sunt apta recipere prædicationẽ illius; Negat huiusmodi consequentiam: Verum quæstione præcedẽte oppositum huius doctrinæ asseruisse videtur; & primo perhier. quæst. 6. dum vsus est simili argumento: Nec satisfacit id, quod dicit de forma Solis; tum quia forma Solis non est materialis, tum dato, quod sic negaretur, quod alia materia non sit apta recipere illam, cum materia prima sit vnica omnium, & in potentia ad omnes, & maxime secun-

dum doctrinam suam quam profitetur in 2. dist. 14. quare non constat suæ doctrinæ.

Conciliatio.

P. Resp. Nullam adesse contradictionem in dictis D.S. & benè in forma negatur illa consequentia absque eo, quod aduersetur d.quæst. præcedente, nam in dicta quæstione arguit de facto, & in ista de aptitudine, & ideo tollitur contradictio, & cum adducis illud formæ Solis, nego eiusmodi assumptum, nam esto secundum Philosophum, vt vidimus in lib. de Cœlo. Cœlum sit corpus simplex expers materiæ secundum veritatem tamen est materiale, ita & Sol est materiale corpus. Ad aliud verò abs te adductum, Dico, Doctorem loqui de materia secunda; & si contendas loqui de materia prima, dico loqui secundum opinionem ponentem alietatem materiæ superioris, & inferioris.

Contradictio XXXII.

C.F. D.S. quæst 19. Vniuersalium in solutione secundi principalis asserit differentiam superiorem esse genus respectu inferioris, quod enim est genus prædicatur per se de illo. At 7.met. quæst. 17. & 4. sent. dist. 11. quæst. 3. docet oppositum, habet enim differentiam superiorem non prædicari differentia per se, ergo non est genus eius, & consequenter contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. dupliciter, & pro prima responsione attende

Differentiam, veluti omne accidens dupliciter posse considerari, scilicet, pro prima intentione, alio modo pro secunda intentione: quo stante dico D. S. in hac quæst. loqui de differentia pro secunda intentione. 7. verò metaph. de differentia pro prima intentione, & ideo non adest contradictio.

Resp. secundò, D. S. in hac quæst. loqui in opinione asserentium de mente Philosophi, differentiam superiorem prædicari per se de inferiori, & includi in intellectu eius; 7. verò met. nec non 4. sent. prout adnotadit Maur. loquitur secundum propriam opinionem, & ideo tollitur contradictio.

Contradictio XXXIII.

C. F. Scot. quæst. 20. Vniuersalium in primo notabili dicit, quod illud, quod determinatè importatur per speciem indeterminatè importatur per genus, & differentiam, verum in sequentibus oppositum manifestè edocet, dum inquit differentiam cum determinatione vltimæ formæ importare illud, ergo determinatè, & per consequens manifestè sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. pro conciliatione huius apparentis contradictionis obseruanda est doctrina sæpius asignata à D. S. in his Vniuersalibus, videlicet; quæst. 16. & 17. & in anteprædicamentis quæst. 7. & 1. report. dist. 8. quæst. 4. & 1. Anglico dist. 3. quæst. 3. & dist. 8. quæst. 2. & in 2. dist. 3. quæst. 6. Genus scilicet, & differentiam accipi à diuersis rebus, vel realitatibus in natura spe-

ſpecifica, quarum vna eſt materialis, vel potentialis, vel contrahibilis, ſeu determinabilis, & alia formalis, vel actualis, vel contrahens; ſeu determinans, quas primo ſignificant ex primaria, & formali ſignificatione, non quidem partis, ſed totius; genus ergo, ſeu differentia ſumuntur à tali, ſiue materiali, ſiue formali, illudque primo important de ſuo intellectu determinato, alioquin in definitione eſſet nugatio, ſi primo idem penitus importarent: Partiale autem per modum totius ex conſequenti, ſeu conſequutiuè, aliter prædicatio vtriuſque de ſpecie eſſet falſa cum pars per modum partis ſumpta non prædicetur de toto. Hoc ergo præmiſſo notabili dico D. S. in hac quæſtione loqui de partiali per modum totius; in quæſt. ſeq. autem priori modo, & ideo non adeſt contradictio in ſuis dictis.

Contradictio XXXIV.

C.F. D.S. quæſt. 22. Vniuerſalium in ſolutione primi argumenti, concedit illam propoſitionem. Nihil diminuit ab alio, niſi ponatur ex parte eiuſdem extremi ſub hac limitatione quod, determinatio intelligenda ſit de prædicato, ſic plures homines ſunt vnus homo participatione ſpeciei, ideſt participando ſpeciem. Huius oppoſitum videtur habere in 1. diſt. 36. in ſolutione principali ſoluendo primam obiectonem, vbi dicit diſtractum reſpectu diſtrahentis non eſt diſtractum; ſed reſpectu tertij, ad quod comparatur reſpectu diſtrahentis, & hanc doctrinam confirmat in reportatis diſt. 3. quæſt. 5. art. 2. ſoluendo obiectionem dicens, quod vnumquodque; quod ſecundum quid eſt aliquid ſimpliciter, eſt illud ſecundum quid:

id ipſum fere habet quæſt. 51. Elenc. quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. pro ſolutione adductæ contradictionis ſunt plura obſeruanda, & primo multiplicem eſſe determinationem; alia enim dicitur contrahens, alia diminuens, alia diſtrahens (quicquid dicant nonnulli capientes hæc duo vltima pro eodem, vtrumque pro alio ponentes.) Determinatio contrahens, ſeu reſtringens eſt quæ facit terminum teneri pro paucioribus, quam ſi per ſe, ac ſine illa poneretur: v. g. album, nigrum &c. & talis determinatio non tollit rationem illius cui additur, nec diminuit inhæſionem, eſtò quodammodo communitatem, vel ſuppoſitionem. Determinatio verò diminuens, eſt quæ non tollit rationem illius cui additur, ſed benè partim perimit, ne dum communitatis indeterminationis, vel indifferentiæ, ſeu ſuppoſitionis, ſed etiam debitæ inhæſionis, v.g. album ſecundum dentes &c. Determinatio verò diſtrahens, quæ etiam, & priuans, & amplians dicitur, eſt quæ tollit, ſeu deſtruit totalem rationem illius, cui additur, quæ dicitur diſtrahens; quia trahit terminum ad aliam ſignificationem à ſuo proprio ſignificato, v. g. mortuum, pictum &c. Verum pro vberiori doctrina.

Obſer. ſecundo, omnem determinationem debere poni cum ſuo determinabili ex parte eiuſdem extremi, ſcilicet ſubiecti, vel prædicati in propoſitione, v.g. differt dicere homo albus currit, & dicere homo eſt currens album, vt conſtat, hoc inquam generale eſt in omnibus modificationibus, ne dum realibus, ſed etiam in intentionibus.

Ob-

Obſer.tertio. Aliter loquendum eſſe de partibus vnitis, & de ipſis ſeorſum acceptis, & de aliquo in ſe, & comparatum ad tertium in ratione prædicati, vel ſubiecti: homo inquam, & mortuus inter ſe repugnant, vt eſt manifeſtum ex rationibus eorum, ſed ipſis vnitis in ratione determinabilis, & determinantis, & ad tertium comparatis, v.g. ad hominem dicendo homo mortuus eſt homo, eſt repugnantia in adiecto, ex 2. Perhier. cap. 2. nihilominus eſt homo mortuus ſimpliciter, vel homo ſecundum quid, vt vult D. S. Applicando ergo ad rem, tria ſunt conſideranda, ſcilicet, determinabile, & determinatio diminuens, & tertium v.g. cum dicitur Æthiops albus ſecundum dentes, eſto hic albedo ſit albedo, & non deſtruatur in ſe, diminuitur tamen in ordine ad tertium, eo quia nata eſt conuenire ſuo ſubiecto, vel ſecundum ſe totum, vel ſecundum maiorem partem eius. Quam ob rem cum Doctor dicit determinationem diminuentem aliquod determinabile, vel in ſe, vel in ordine ad tertium debere eſſe ex parte eiuſdem extremi cum ipſo, vel ſaltem ita intelligi, & ita loquitur in locis à te adductis ad contradictionem; in hac quæſt. verò aliter loquitur, videlicet ex parte vnius extremi, vt conſtat, ideo non adeſt contradictio.

Contradictio XXXV.

C.F. Scot. eadem quæſt. 21. Vniuerſalium in ſolutione ſecundi principalis habet determinabile non contrahere determinationem, ſed è conuerſo, maximè non ad ſecundum quid: At huic doctrinæ videtur derogare in 3. diſt. 11. quæſt. 1. ſoluendo tertium prin-

cipale, vbi dicit, Cum dicitur Christus est homo creatus, ly creatus distrahitur ibi per ly homo, & tamen est determinabile eius, quare contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. primo, negando in loco adducto tertij sententiarum hominem ibi esse determinabile, sed determinationem, prout colligitur ex sequenti littera, vbi Doctor addit, Vt dicatur creatus homo, per quem ordinem dat intelligere, quod creatus est determinabile primo loco positum, & ideo in dictis nulla repugnantia, sed potius confirmatio reperitur.

Resp. secundo, D.S. in tertio non fuisse loquutum assertiue, sed in quadam responsione topica, & hæc sunt ipsius verba. Aliter potest dici, quod est homo creatus &c. ita quod ly creatus distrahitur ibi per hoc quod est homo, vt dicatur creatus homo. Monui ergo alibi cum D.S. dicit, potest dici loqui topice, & probabiliter, non verò ex professo &c.

Contradictio XXXVI.

C.F. D.S. citata quæst. 22. Vniuersalium, soluendo idem secundum argumentum principale, negat determinabile contrahere determinationem ad secundum quid, adduco verba ipsius Doctoris, quæ sunt, Ad secundum dico, quod determinabile non contrahit determinationem, sed è conuerso maxime non ad secundum quid. At soluendo tertium argumentum eiusdem quæstionis contradicit huic responsioni; ibi enim apertè concedit hominē esse determinationem vnius, etiā ad secundū quid, ergo euidēs cōtradictio.

Con-

Conciliatio.

P. Reſp. negando D. S. ſibi contradicere, namque ſoluendo tertium non ait eſſe determinationem propriè, ſed quod habet rationem determinationis, audi verba ipſius. Ad tertium dico, quod non valet conſequentia, ſunt indiuiſa in homine, ſiue in forma hominis, ergo ſunt vnus homo, vel homo indiuiſus, quia in antecedente ſignificatur homo, vt habens rationē determinationis reſpectu vnius, ſed in conſequente, vt determinabile. Hæc D. S. vnde conſtat non contradicere ſibi, aliud enim eſt accipere hominem in recto, prout in priori ſolutione, aliud verò in obliquo, prout in poſteriori, dum ait homo, vt habens rationem determinationis &c.

Contradictio XXXVII.

C.F. Scotus prædicta quæſt. 22. Vniuerſalium ex fundamento 5.met. videtur concludere rationem vnitatis conſiſtere in ſola negatione: At huic doctrinæ de directo contradicit 4.metaph.quæſt.2. vbi docet contra Thomiſtas, rationem vnius eſſe rationem poſitiuam, & hoc tenetur communiter in ſua doctrina, prout 6. diſput.Metaph.dub.3. me docuiſti quare aperta contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. nullam adeſſe contradictionem etenim aliud eſt dicere negationē de ſuo formali ſignificato, aliud verò negationem ex concomitanti, quo ſtante: Dico

D. S.

D.S. in hac quæst. loqui concomitanter, ideſt, ad rationem vnius neceſſario concomitatur negatio, ſaltem pro connotato, at 4. metaph. loquitur præcisè, & formaliter, quare non adeſt contradictio in Doctore Subtili.

C.F. Liceat mihi dilectiſsime Magiſter replicare. Hæc reſponſio non videtur conſona dicti Scoti, nec eius doctrinæ accommodabilis, prout ex expoſitione textus Metaphyſicalis, ſcilicet 4. met. text. 4. vbi habet hæc verba. Dicit ergo, quod quoniam vnius ſcientiæ eſt oppoſita ſpeculari, & vni eſt oppoſita pluralitas, iterum quia, ſupple, vnum importat, vel implicat negationem, & priuationem; ideo vnius ſcientiæ eſt ſpeculari negationem, & priuationem illius, ſcilicet, quæ de vno ſpeculatur, ideo ſubdit, quod vtrumque ſpeculatur vnum, ideſt ex vtroque dependet conſideratio vnius, de cuius ratione eſt priuatio, & negatio; hæc Doctor, vbi ponderando verbum illud, de cuius ratione ſequitur loqui præcisè, & formaliter, non verò concomitanter: quinimmò ibidem addit Doctor, Vnum magis declinare ad naturam priuationis, quam negationis, ergo adhuc viget contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. ex eodem Doctore Subtili locoq. abs te abducto, videlicet, notabili tertio, vbi habet hæc verba: Notandum etiam, quod licet ſuperius probatum fuerit, quod vnum fortè dicat aliquid poſitiuum, tamen hoc non obſtante includit aliquam negationem non formaliter, ſed quaſi conſequenter, quæ quidem negatio fundatur ſuper illud, quod dicit poſitiuum,

hæc

hæc Scot. en quomodo ſe declarat; & eſto ſit ſufficiens ad declarandam mentem ipſius, tamen pro vberiori doctrina, audi verba ab eodem Doct. poſita immediatè.

Verumtamen ſciendum, quod iſta negatio, vel priuatio, quam importat ipſum vnum non eſt priuatio multitudinis, quæ cum priuatio ſit poſterior habitu ſequeretur, quod multitudo eſſet prior ipſo vno, quod eſt falſum cum vnum ſit principium multitudinis, & ipſa multitudo definiatur per vnum; nam multitudo eſt quædam aggregatio vnitatum; ſi autem multitudo eſſet prior quam vnum, poſſet ipſum definire, & ſic eſſet circulus in definitionibus. Idcirco dicendum, quod vnum importat priuationem diuiſionis, non quidem diuiſionis quantitatiuæ, cum iſta ſit determinati generis, ſed priuationem diuiſionis formalis, quæ fit per oppoſita, cuius radix eſt oppoſitio contradictoria, nam illa ſic ad inuicem diuiduntur, quæ ita ſe habent, quod hoc non eſt illud. Prior igitur intelligitur ipſum ens: ſecundo non ens: tertio intelligitur diuiſio: quarto conſequenter intelligitur vnum quod priuat diuiſionem: quinto, & vltimo intelligitur multitudo de cuius ratione eſt diuiſio: hæc D. S. vbi pondera id, quod dicitur quarto, conſequenter intelligitur &c. & erit dilucida ipſius doctrina, & immunis à contradictione.

Contradictio XXXVIII.

C.F. D.S. quæſt. 23. Vniuerſalium, habet genus dici æquè de ſpeciebus: Verum in 1. diſt. 3. quæſt. 3. iuxta principia Philoſophi 8. & 10. met. docet oppoſitum, cum dicit in omni genere ſtare analogiam: quare

non

non dicitur æquè de ſpeciebus, & conſequenter manifeſta contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. ad ſolutionem huius contradictionis attende dilectiſſime Diſcipule equalitatem ex duobus poſſe attendi, vel ratione conceptus generici in ſe; vel ratione conceptus ſpecifici quoad differentias, hoc ſuppoſito dico Doctorem in hac q. 23. loqui de equalitate conceptus generici, qui ſcilicet eſt æqualis omnibus ſpeciebus: in primo verò loquitur de inequalitate conceptus ſpecifici, quoad differentias, quæ analogicè dicuntur, & ideo non adeſt contradictio in dictis Doctoris Subtilis.

Contradictio XXXIX.

C.F. Scotus quæſt. 25. negat differentiam prædicari de genere: Verum hæc poſitio videtur repugnare ſuæ doctrinæ, nam vt docet in 2. diſt. 1. quæſt. 2. Differentia demonſtrari poteſt reſpectu generis, & hoc in fundamentis; habet enim Doctor *ibidem*, quòd quicquid primo, & immediatè conuenit alicui de quolibet, quòd eſt in eo, ſiue ſuperiori, ſiue inferiori poteſt demonſtrari propter quid per illud, cui primò conuenit tanquam per medium; ergo & prædicari, ergo contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. pro reſolutione apparentis contradictionis eſt obſer. demonſtrationem eſſe duplicem, quemadmo-

modum duplex medium, ſcilicet, vniuerſale, & particulare, ita demonſtratio duplex, ſcilicet, vniuerſalis, & particularis, cum ergo in 2. diſt. 1. quæſt. 2. dicit differentiam demonſtrari poſſe reſpectu generis, intelligendus eſt de demonſtratione particulari, & tunc ſuperius ſupponit, & verificatur pro inferiori, v. g. ſi argueretur, Omnis homo eſt rationalis, aliquod animal eſt homo, ergo aliquid animal eſt rationale. Si verò accipiatur animal, vt eſt commune, & vt eſt indifferens prædicatio propriæ differentiæ, de ipſo erit per accidens, ſicut & propriæ paſſionis, teſte Doctore Subtili quæſt. 1. Prologi, ſoluendo obiectionem Henrici, & hoc modo loquitur in hac quæſt. 25. & ideo tollitur contradictio.

Contradictio XL.

C. F. D. S. quæſt. 27. Vniuerſalium, dicit vnum dici ſimpliciter, & ſecundum quid, non tamen æquiuocè. At 1. ſent. diſt. 29. & in prædicamentis cap. de Delatione, oppoſitum videtur docere, docet enim, quod ei, quod eſt ſimpliciter tale, & ei, quod eſt ſecundum quid tale, nihil eſt cõmune vniuocum, ergo aperta cõtradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. pro ſolutione adductæ contradictionis, obſerua vniuocum poſſe dupliciter conſiderari vno modo ſimpliciter, & abſolutè, & propriiſsime dict. alio modo cum analogia: dum ergo D. S. negat ei, quod eſt &c. eſſe aliquid commune vniuocum, intelligendus eſt priori modo, non ſecundo: dum verò ait, non dicit æquiuocè, intelligendus eſt de vniuoco ſecun-

do modo, & ideo non adest contradictio, nam vt notat D. S. metaph. quæst. de vno, & alibi in omni vniuocatione dantur gradus, plus tamen in vno, quam in alio.

Contradictio XLI.

C.F. Scot. eadem quæst. 27. Vniuersalium, assignat distinctionem differentiæ, ex qua videtur sequi, quod concretum prædicetur per se de suo proprio abstracto, quia sicut differentia, quæ est tertium vniuersale differt ab alijs specie differentia ipsa, vt est relatio rationis ita ipsamet differt numero ab alijs vel genere, vel numero, & sic concretum denominat proprium abstractum. At quæst.3.de genere, habet hoc pro inconuenienti, ergo contradicit sibi.

Conciliatio.

P. Resp. primo, nullum sequi inconueniens ex illato quando concretum sumitur, vt modus, & in respectiuis transcendentibus, ideo &c.

Conciliatio.

P. Resp. secundo, dictum D.S. in hac quæstione intelligendum esse tanquam famosum, vbi concretum rectè formari potest ab abstracto, vbi verò non, minimè, vt patet de studioso dicto à virtute, quare nulla adest contradictio.

Contra-

Contradictio XLII.

C.F. D. S. præcitata quæst. 27. Vniuerſalium, habet qualiter vnum, & multa poſſe eſſe; æquiuoce res, vel intentiones. At 5. metaph. quoad multum docet oppoſitum; quare ſibi contradicit.

Conciliatio.

P. Reſp. reſolutionem præſentis contradictionis pendere ex obſeruantia duplicis vnitatis, videlicet, rationis, & realis. Vnitas rationis eſt extrinſeca, qua ſcilicet intelligibile acquirit eſſe cognitũ. Vnitas verò realis eſt illa cui propriè intrinſecè contreſpondet entitas realis; hoc ſtante dico Doctorem; vt eſt videre in adducta quæſt. loqui de vnitate rationis in met. de vnitate reali, prout declarat Doct. in hac quæſt. ideo ipſemet ſaluat ſe à contradictione.

Contradictio XLIII.

C.F. Scot. adducta quæſt. 27. Vniuerſalium in ſolutione ſecundi principalis dicit, quod differre dicitur tantum concretiuè à differentia, vt eſt nomen primæ intentionis. At in ſolutione quarti principalis docet oppoſitum, nam dicit, quod dicitur concretiuè, vt eſt nomen ſecundæ intentionis, quare euidens contradictio in ſuis dictis.

Conciliatio.

P. Reſp. pro ſolutione apparentis contradictionis de-

bes obseruare diuersimode accipi posse fundamentũ intentionis, vel scilicet à fundamento reali, & secundum esse reale; vel à fundamento rationis: hoc stante dico Doctorem Subtilem in secunda responsione, accipere fundamentum intentionis priori modo, & in quarta responsione secundo modo prout ipsemet ex sequentibus in eadem responsione declarat (percipe) hęc enim sunt verba. Ad quartum potest dici, quod differentia, vt est nomen secundæ intentionis est æquiuocum. Vno enim modo significat intentionem applicabilem ei, quod est principium differentiæ, vt est relatio realis, sicut rationale dicitur differentia, & sic est vniuersale hic. Alio modo significat relationem rationis, cuius species sunt differentia numero, vt differentia specie, & differens numero, & sic est abstractum sicut quando est nomen primæ intentionis. Hoc videtur probabile, quia differens specie est vniuocè in omni genere, ergo intentionale similiter differentia definita sic; qua differunt à se singula, reperitur in omni genere, quia tantum diuersificatur per materiam accidentalem; ergo differens concretiuè dictum, quod ponitur in eius definitione; non est enim definitio, nec descriptio, nisi cõuertatur cum definito, vel descripto; ergo aliquo modo est differentia, abstractum, & nomen secundæ intentionis, à quo possit denominatiuè dici differre, vt est intentionale. Hæc D.S. vnde apparet ad contradictionem.

Contradictio XLIV.

C.F. D.S. eadem quæst. 27. Vniuersalium in solutione tertij principalis habet relationem non referri, cum tamen omne ens omni enti comparatum, vel sit idem, vel

vel diuersum, ex 10.met. tex. com. 12. similiter proportionabilitas est similitudo proportionum 5. met. vt ipse hoc: ibidem plerumque commemorat, & sustinet relationem fundari in relatione, ad quam sequitur necessario ipsam relationem referri, nã in quo est albedo, ipsum est album; ergo vel hic, vel ibi contradicit, & falsum dicit.

Conciliatio.

P. Resp. Doctorem hic loqui famosè: alibi verò ex intentione ostendit relationem fundari in relatione maxime alterius denominationis, prout singularissime videri potest in 2.dist.1.quæst.1.quęst.5.& quęst.5. quol.necnon.5. met. Verum hæc clarius 5.met.cont.2. dilucidabitur.

Contradictio XLV.

C.F. Scotus quæst.28. Vniuersalium in solutione habet denominatiuum differre à principali solo casu, idest cadentia ad subiectum, & illud tantum his quæ prædicantur in quale accidentale: Oppositum huius habet in 2. dist. 12. quæst. 1. vbi vult superius, vel partem essentialem denominatiue predicari, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. nullam adesse contradictionem, si attendatur modus loquendi hic, & ibi; aliter enim D.S. loquitur in Logica, & aliter in secundo, hic inquam loquitur de prædicatione denominatiua, vt ipsemet in ante-

præ-

prædicamentis habet, quod omnis prædicatio maximè formalis est denominatiua: quare constat Doctorem Subtilem non contradicere suæ doctrinæ.

Contradictio XLVI.

C.F. Scot. quæst. 29. Vniuersalium habet quod vno existente perfecto sunt multa imperfecta per recessum ab illo secundum diuersum gradum, & exemplificat de rationali, quo existente sunt multa irrationalia. At in 2. dist. 1. quæst. 6. in argumento post oppositum, docet oppositum, vbi docet, quod quo forma creata est nobilior, eo distinguitur in plures gradus nobilitatis, & affert exemplum comparando elementa ad mixta, & mixta inanimata ad animata, & plantas ad animalia, & irrationalia ad rationalia, vel intellectualia; Manifestum ergo est, formam rationalem esse nobiliorem forma bruti, quare sequitur aperta repugnantia in dictis D.S.

Conciliatio.

P. Resp. non adesse contradictionem in dictis Doctoris, idque attende ex diuersis modis loquendi, nam in secundo loco a te adducto loquitur de contentis sub eodem genere remoto, vt patet per exempla adducta, loquitur inquam ibi de gradibus entium substantialium, de perfectionibus vniuersi: hic verò, vt ex exemplis manifestum est, de speciebus edentis sub eodem genere infimo, scilicet, de speciebus animalis præcisè, prout innuit Philosophus 8. & 10. metaph. quare est immunis à contradictione.

Contradictio XLVII.

C.F. D.S. eadem quæst 29. Vniuersalium in solutione primæ rationis asserit Angelos non discurrere, & idē confirmat in 2. dist. 1. quæst. 6. At in 2. dist. 7. quęst. vnica docet oppositum, habet enim hæc verba, quod etiam negatur ab Angelis omnis discursus non videtur probabile, sicut probatur supra in proœmio primi libri quæst. illa, Vtrum Theologia sit scientia: hæc Scot. ibid. & quæst. 3. Prologi 4. collaterali habet hæc verba, hoc potest concedi, videlicet, quod Beatus verè potest habere scientiam Theologicam, quantum ad omnes conditiones scientiæ verè concurrunt in cognitione Beatorum: hæc D.S. subsumo, sed vna è conditionibus scientiæ est discursus, ergo Angeli discurrunt, ergo contradictio euidens in sua doctrina.

Conciliatio.

P. Resp. primo, nullam adesse contradictionem, namque D.S. in hac quæst. non loquitur absolutè, sed comparatiuè, hoc est respectu nostri, & hoc modo Angeli non discurrunt; in Prologo verò, & in secundo, vbi agit de discursu proprie, & simpliciter asserit eos discurrere, quare sibi non contradicit.

Resp. secundo, esse discursum posse dupliciter considerari: vno modo circa incomplexa, & circa conclusiones: cum ergo D. S. negat discursum in Angelis, negat quædam ad incomplexa, circa quæ non est discursus: cum vero admittit discursum in illis secundo modo, scilicet, circa complexa, & conclusiones, & ideo non est contradictio.

Resp.

Resp.tertio, D. S. negare discursum in Angelis secundum opinionem aliorum, idque ex loco supra à te adducto, videlicet, Quod negatur ab Angelo discursus &c.

Resp. quarto, D. S. negare ab Angelis discursum intelligendi hoc post hoc, qui quidem fit tempore, non autem discursum cognoscendi hoc per hoc, qui in solo ordine naturæ fit, & ideo nulla contradictio.

C.F. Data hac responsione, sequeretur etiam Deum discurrere, cum in eius cognitione possit assumi ordo naturæ.

P. Resp. negando assumptum, nam ad verum discursum nedum requiruntur duo supra assignata, scilicet, hoc post hoc, & hoc per hoc, verum etiam requiritur tertium, vt terminus discursus sit obiectum immediate cognoscibile, alioque actu: At hæc non sunt in Deo, & ideo non sequitur ipsum discurrere.

Contradictio XLVIII.

C.F. Scot. eadem 29. quæst. Vniuersalium, negat Angelos posse perficere accipiendo cognitionem à rebus. At 2. sent. dist. 3. quæst. 11. apertè destruit hanc doctrinam sub his verbis. *Respondeo ad quæstionem,* quod Angelus potest perficere in cognitione rerum; & hoc accipiendo notitiam actualem à rebus; quare euidenter sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. nullã esse contradictionem, si attendatur modus loquendi D.S. tum hic, tum ibi; hic inquam ait, Ad quæstionem dico, quod rationale est equiuocum

nobis,

nobis, & intelligentijs, ipſe enim intelligant per ſpecies innatas, non acquiſitas, ideo non egeat ſenſibus ad ſcientias: nos verò indigemus teſte Ariſtot. poſt. 1. vbi profitetur omnem noſtram notitiam originem docere à ſenſu: quare hìc loquitur de facto, ideſt non proficiunt accipiendo cognitionem à rebus cum intelligant per ſpecies innatas: At 12. ſentent. loquitur de poſsibili, prout ex textu à te adducto videre eſt, cum ait, Reſpondeo ad quæſt. quod Angelus poteſt &c. en patet ex diuerſitate modi loquendi, quomodo D.S. non ſit in contradictione.

Contradictio XLIX.

C.F. D.S. eadem quæſt. 29. in reſponſione ad rationem ait, quod rationale eſt æquiuocum nobis, & intelligentij. At in 2. diſt. 1. quæſt. 6. impugnando opinionem Alex. D. Thom. aliorumque antiquorum ſuſtinet oppoſitum, videlicet, intellectualitatem eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ in Angelo, & nobis, ſeu in anima, eſto eſſentiæ non ſint eiuſdem ſpeciei: quare aperta contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. Non adeſſe contradictionem, nam aliud eſt conſiderare intellectualitatem pro potentia, vel perfectione concomitante eſſentiam, aliud verò conſiderare intellectualitatem pro realitate intrinſeca formali, veluti ponitur differentia; quo ſtante dico D S. in ſecundo loqui in priori ſenſu, vt eſt videre apud ipſum loco citato, prout ex exemplis adductis, quorum vnum eſt de anima bouis, & aquilæ ſpecie diſtinctis,

vis visiua tamen nõ differt specie, ita de intellectualitate dicendum est; hic verò loquitur in secundo sensu, & sic tollitur contradictio.

Contradictio L.

C.F. Scot.quæst.30. Vniuersalium in solutione 3. principalis, habet nullum accidens referri ad suum subiectum. At infra, videlicet, quæstione 32. eorundem Vniuersalium, & quæstione de denominatiuis, 7.met.4. sent. dist. 12. & alibi sæpè habet esse habitudinem accidentis ad subiectum, quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Accidens dupliciter posse considerari vno modo secundum proprium esse essentiale, & formaliter, alio modo secundum rationem dependentiæ, seu inherentiæ saltem aptitudinalis: si consideretur priori modo, prout citata quæst. 30. considerat Doct. non est formaliter ad aliud, idque conualidari potest ex his quæ docet idem Doct.7. metaph. quæst.1. vbi clarè docet quod esse accidentis non est inesse, sumendo accidens formaliter, & quidditatiue: Posteriori vero modo vtique habet ordinem ad subiectum, & ita loquitur locis à te adductis, quare non est inconstans D.S.

Contradictio LI.

C.F. D.S. eadem quæst. 30. Vniuersalium in solutione vltimi habet hanc propositionem, videlicet; quod

nihil est commune non existente intellectu. At 7.metaph. quæst. 13. & 2. sent. dist. 5. quæst. 1. docet dari commune reale habens vnitatem minorem vnitate numerali, absque opere intellectus, & alibi sæpe idipsum docet, ergo manifesta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. pro responsione ad adductam contradictionem debes attendere, aliud esse loqui de vniuersali completo, & in potentia propinqua, seu pro secunda intentione: aliud vero loqui de vniuersali incompleto, in potentia remota, seu pro prima intentione; primum vocant Logicum, secundum Metaphisicum vniuersale, prout ex ipso D.S. 7. metaph. quæst. 19. elici potest: hac ergo distinctione stante dico D. S. in hac quæst. loquitur priori modo, scilicet, de vniuersali completo, iuxta illud Com. Intellectus est qui facit vniuersalitatem in rebus. 7. vero metaph. ac 2. sent. loquitur posteriori modo, & ideo sibi non contradicit.

Contradictio LII.

C.F. Scot. quæst. 31. Vniuersalium, affert distinctionem de accidente pro secunda intentione accepto quantum ad primum membrum, quod est idem, quod esse in: At hoc videtur contradicere his, quæ habuit q. 4. eorundem Vniuersalium in solutione secundi principalis, vbi dicit, quod esse in, conuenit accidentibus realibus, dici vero de, conuenit accidentibus secundæ intentionis, ergo eccedens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. nullam esse cõtradictionem, nam esse in, equiuoce dici potest: namq. esse in, conuenit accidentibus realibus in esse cognito consideratis, & ita in actu signato attribuitur secundis intentionibus: in actu vero exercito primis, vel secundis sumptis ad modum primarum: quare D.S. quæstione quarta, non negauit vniuersaliter ab intentionibus esse in, sed specialiter ab illis de quibus loquitur hac quæst. hocque in ordine ad fundamenta, estò alio respectu possit dici esse in, sicut omne accidens habet esse in, quare non est contradictio.

Contradictio LIII.

C.F. D.S.quæst. 32. Vniuersalium in primo argumento principali dicit, proprium non esse essentialiter eandem substantiam speciei: At oppositum habetur ex 4. met. quæst. de vno, vbi dicit vnum dicere eandem naturam cum ente, ergo si dicit eandem naturam essentialiter, est idem cum substantia speciei, ergo euidens contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp. dupliciter, & primo adnotando ex doctrina D.S.7.metaph.quæst.1. aliud esse, esse de essentia alicuius, aliud vero esse essentialiter idem alicui: esse de essentia est prædicatum primi modi, scilicet, quo definitio prædicatur de definito, vel differentia de specie; esse vero idem essentialiter est prædicatum se-

ſecundi modi, qua ſcilicet, paſsio prædicatur de ſuo ſubiecto, & hic moneo non bene Mauritium reprehendere Scotiſtas illos qui dicũt paſſionem eſſe eandem eſſentialiter ſubiecto, non imitari D. S. hoc inquam falſum eſt, prout videre eſt loco adducto §. Reſp. & hæc doctrina communiter recipitur à Scotiſtis, hoc ergo ſtante dico D. S. hic accipere eſſentialiter idem propriè pro eſſe de eſſentia 4. metaph. loquitur latius ideo non adeſt contradictio.

Reſp. ſecundo, dictum D.S. (vt pluries dictum eſt) intelligendum eſſe, vt famoſum, vt communiter in his logicalibus de proprio ſuſtinendo omnes proprias paſſiones eſſe de genere accidentis, & ideo nulla adeſt impugnantia.

Contradictio LIV.

C.F. Scotus eadem quæſt. 32. vniuerſalium argumento 3. principali habet hanc maiorem, quam videtur concedere. Omne reſultans ex compoſitione materię cum forma eſt accidens: At 8.metaph.quæſt.4.& in 3. ſent.diſt.2. quæſt.2. docet oppoſitum, videlicet compoſitum reſultans ex materia, & forma eſſe tertiam entitatem,quam quidditatem totius nominat: quare euidenter ſibi contradicit.

Conciliatio.

P. Reſp. tripliciter contradictioni adductæ; & Primo Doctorem loqui de reſultatione per modum actus ſecundi, ideſt, poſt compoſitionem etenim formam eſſe in materia eſt compoſitum eſſe, quoad actũ primum, & hoc modo loquitur hac quæſt. à te adducta: 8 vero me-

metaph.& in 3.loquitur de resultatione materiæ cum forma, & ideo non adest contradictio.

Resp. secundo, Doctorem hac quæst. non loqui assertiuè, sed in argumentis, & transit pro tunc cum non sit locus proprius materiæ, alijs vero locis adductis in medium profert suam positionem, & ideo non extat contradictio in suis dictis.

Resp. tertio, hic D.S. admittere propositionem illam in opinione non admittentium tertiam entitatem, & alibi secundum propriam opinionem, & sic soluatur à contradictione.

Contradictio LV.

C.F. D.S.quæst.32. Vniuersalium, habet hanc propositionem. Non est autem causam necessariam, & immediatam alicuius poni, nisi ponatur effectus: Verum 2.sent.dist.12.& 4.sent.dist. pariter 12. quibus in locis habet omne absolutum prius realiter distinctum ab absoluto posteriori potest separatim conseruari, vt patet de igne in fornace Babilonis, ignis namque est causa necessaria caloris, & ibi fuit sine eo: quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. pro solutione præsentis contradictionis recurrere debes ad tractatum de causis, vbi diximus causam aliam esse necessariam simpliciter immediatam, præcisam, & per se: aliam vero non præcisam, & propriè causantem effectum realiter, ac propriè distinctum, ac absolutum, his ergo in memoriam reuocatis, dico D.S. hac 33. quæst. loqui de causa priori

modo,

modo, ſcilicet, ſimpliciter neceſſaria; in ſecundo vero, & quarto de cauſa poſteriori modo, quare non adeſt contradictio in dictis ipſius.

C.F. D.S. ſecundo, & quarto loquitur de cauſa neceſſaria; vt patet ex exemplo adducto ignis, qui eſt cauſa neceſſaria caloris, ergo firma remanet, ac inſoluta contradictio.

P. Reſp. cauſam neceſſariam eſſe duplicem, videlicet, ſimpliciter, & ſecundum quid: hoc ſtante dico, Scotum loqui de cauſa neceſſaria hoc ſecundo modo, in quæſtione vero 33. de cauſa neceſſaria ſimpliciter, & ideo non eſt contradictio in ſuis dictis.

Contradictio LVI.

C.F. D.S. eadem quæſt. 33. Vniuerſalium in ſolutione principalis, habet riſibile ſemper ineſſe actui: Verum oppoſitum huius doctrinæ videtur habere ſecunda quæſt. quolib. art. 1. etenim habet contra D. Thom. aptitudinem non habere rationem entis in actu, quia poſſet eſſe ad terminum non exiſtentem, quod autem exigit aliquid non exiſtens ipſum non eſt exiſtens in actu; relatio enim non eſt maioris entitatis termino, ex D.S. 1. ſent. diſt. 8. quæſt. vlt. & quæſt. 13. quol. ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. D. S. non contradicere ſibi bene enim dicit in vniuerſalibus, & cum adducis oppoſitum, videlicet aptitudinem non habere rationem entis in actu. Reſpondeo ex his, quæ habet Doctor quæſt. 13. quol. ſoluendo argumentum principale, dicens, quod re-

latio,

latio, quæ quantum eſt ex parte fundamenti eſſet actualis, & propter non entitatem termini eſt potentialis, ipſa frequenter denominat, vel ſubiectum quaſi actualiter ineſſet, vbi exemplificat de inclinatione animæ ſeparatæ ad corpus de auctuali extenſione ſcientiæ practicæ ad praxim, & de menſuratione albedinis reſpectu coloris &c. habitis ergo his, dico riſibile in ordine ad fundamentum eſſe ens actu, ſicque acti inheret, vt ait Scot. quinimmò quantum eſt ex parte fundamenti dici poteſt, quod homo ſemper actu ridet, prout ex iam tactis exemplis manifeſtum eſt.

C.F. Reſpectus eſſentialius dependet à termino, quam à fundamento: ergo principalius denominatur talis, vel talis à termino, & non à fundamento.

P. Reſp. concedendo ideo namque vocatur iſte reſpectus aptitudinalis in ordine ad terminum principaliter, & quoniam non inheret termino, ſed fundmento, ſeu potius ineſt dicitur reſpectus fundamentalis, actualiterq. inherens. Dico ergo, quod eo modo quo eſt actu ens, actu inheret, vel ineſt, & ſic non repugnat modus inherendi entitati rei, vt patet exemplo de potentia materiæ, quæ ei actu inheret, & ita reſpectu eius poteſt dici actus, eſtò in ordine ad formam ſit potentia: cum igitur dicit riſibile actu ineſt: diſtinguo nam actualitas, vel poteſt eſſe determinatio inherentis; vel poteſt eſſe determinatio inherentiæ: priori modo, vt ſcilicet eſt determinatio inherentis non eſt vera, niſi ſumatur extenſiue, accipiendo actum, ſicut dictum eſt de potentia, vt loquitur notanter Doctor in ſimili quæſt. 18. quol. art. 3. de natura. Secundo autem modo vera eſt, ſcilicet, vt eſt determinatio inherentiæ, hocq. modo loquitur hic Doctor, videlicet, quod ineſſe riſibilis eſt actualis,

licet ipſum in ſe formaliter ſit aptitudo, quare Doctor non eſt in contradictione.

Contradictio LVII.

C.F. Scotus quæſt. 34 Vniuerſalium, ponit paſſionem in genere qualitatis, & conſequenter per regulam antepraedicamentalem, ſcilicet, diuerſorum generum, & non ſubalternatim &c. habet eam ponere diſtinctam realiter à ſubiecto: At 4. met. quæſt. 2. differens de paſſionibus entis ponit paſſionem eſſe idem realiter cum ſuo ſubiecto, quæ doctrina communiter tenetur in ſua doctrina; ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. D.S. in Logica loquutum fuiſſe ſecundum opinionem, ſcilicet eorum, qui ponunt propriam paſſionem in prædicamento qualitatis: 4. vero metaph. & alibi ſecundum propriam mentem, ideo non adeſt contradictio in dictis D.S.

Contradictio LVIII.

C.F. D.S. quæſt. 35. Vniuerſalium in ſolutione primæ replicæ quarti argumenti, habet quod actio eſt patientis, vt ſubiecti, ſed non eſt actio patientis, quia non denominat ſubiectum ſuum, ſed aliud: At hanc doctrinam pluribus in locis ſuæ doctrinæ deſtruit, præcipuè 1. metaph. quæſt. 6. & 4. ſent. diſt. 13. quibus in locis docet actionem eſſe in agente: quare euidenter ſibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. Doctorem Subtil. sibi non contradicere, nam vt pluries dictum est, cum in Logica nō sit locus proprius materiæ, & vt plurimum sequatur opinionem communem, ob id primo. Dico eum ita dicere in opinione aliorum, hocq. apparet ex ipsa littera D.S. dicit enim dicitur, vt videre est ex Responsione quæ est hæc: Dicitur quod si adest tunc est formale accidens eius, sed non oportet quod sit corruptio eius, quia eius dicitur corruptio, quod denominatur ab ea, & illud non est eius subiectum, & vniuersaliter ita est in accidentibus subiectum non denominantibus, sed alia à subiectis, sicut locus est corporis locantis, vt accidēs, sed nō est locus corporis locātis, sed est corporis locati, passio verò locantis, vt dicitur 4. Phys. sic actio est patientis, vt subiecti, sed non est actio patientis, quia non denominat subiectum suum, sed aliud hæc Doct. vbi ex verbo dicitur habetur solutio.

At ne videamur semper ad idem refugere, adeo vt sit nobis veluti fuga, quæ vulgo circumfertur miserorum, ideo aliter Respondeo prius præmittendo, prout obseruauit Gabriel Zerbus 5. metaph. quæst. 20. ex doctrina Doct. Subtilis in 4. dist. 13. Multiplicem equiuocationem huius nominis actio. Vno modo dicitur de operatione prout intellectio, vel volitio dicitur operatio, in rei tamen veritate est qualitas, vt 1. sent. dist. 3. quæst. 6. declarat Doctor, & hoc modo, seu secundum hanc significationem actio est forma absoluta, & in genere qualitatis: alio modo actio dicit habitudinem, vel respectum, vel producentis ad productum, vt Pater est causa Filij, vel inducētis ad indu-

ctum, vel educentis ad eductum, vel respectum transmutantis ad transmutatum, est enim, vt sic habitudo agentis ad passum transmutatum: quandoque sumitur pro re acta, & producta includẽdo tam respectum, quem exprimit id, quod est ab alio, veluti dicitur 3. Phys. hoc stante dico D. S. hic loqui de actione hoc vltimo modo, in alijs vero, vt dicit respectum transmutantis ad transmutatum, & ideo saluatur à contradictione.

C.F. Data veritate hius responsionis sequeretur, quod argumentum, quod adducit Scot. 1. met. quæst. 6. ad declarandam intentionem Arist. nihil concludit: dicit enim arguendo ad intentionem eius, quod actio vera manet in agente, & actio acta transit in materiam exteriorem, ex hoc arguit volendo probare, quod ex eius actione concludimus subiectum eius esse singulare, quia actio singularis recipitur in singulari, generatio autem est singularis, ergo debet recipi in subiecto singulari, ex hoc concludit ipse, quod ex actione acta, seu producta nos inuestigamus illud, in quo est talis actio, esse singulare, si autem non esset actio acta, tunc non responderet secundum mentem Aristotelis.

P. Resp. negando sequelam, namque vult Doctor, quod per actionem transeuntem in materiam exteriorem solum concludimus obiectũ ipsius, ac subiectum esse singulare, quare non sequitur tua instantia.

C.F. Actio manet in agente, & non transit extra, ergo ex hoc non potest concludi propositum.

P. Resp. ex ipsomet Doctore loco assignato abs te verum esse antecedens de actione qua agens agit, falsum vero de actione acta, ideoque non valide infertur consequens.

Contradictio LIX.

C.F. Doctor Subtilis quæstione 36. Vniuersalium dicit respondendo ad primum, qualitates elementorum consequi ipsa ratione materiæ, vel consequi ipsam materiam, non formam. Verum hoc dictum manifestè repugnat suæ doctrinæ, etenim si loquatur de materia Physica, quæ est prima, clarum est, quod illam consequuntur, vt æuo insunt ex eius doctrina 1. senten. distinct.3.quæst.7. & 2.sentent.distinct.3. quæst. 4. & 4. sent. distinct. 12. subiectum accidentis maximè absoluti est ens actu, scilicet formali, & non entitatiuo,& incompleto : Si vero (vt aliquibus placet) ibi fiat sermo de materia indiuiduali, siue illa ponatur materia prima, siue signata quantitate, siue heccheitas adhuc non videtur, asserendum, qualitates elementorum consequi illam, imò primo videntur conuenire naturæ elemēti,nec heccheitas illa principium actiuū dici potest; quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. tripliciter, & primo Doctorem hic loqui in materia Physica topice,ait enim, Vel potest dici,quod licet semper inessent huiusmodi accidētia elementis, & necessario, non tamen sequuntur formam speciei; sed magis materiam, & ideo non adest &c.

Resp. secundo, nullam adesse contradictionem, nam hic D. S. loquitur de materia Physica, & indiuiduali, & de consequi formam Metaphysicè, & Physicè per efficientiam realem,vel simplicem emanationem, vel pululationem. Accidentia inquam commu-

munia consequuntur principia indiuidui, & non speciei, quatenus talia, nec obstat tale accidens conuenire omnibus indiuiduis illius speciei, quoniam habet etiam causam necessariam in quolibet, estò non per se, nec per naturam communis.

Resp. tertio, distinguendo de forma, scilicet, vel in esse reali Physico, & indiuiduali, vel in esse quidditatiuo specifico, & sic dixit Doctor. Qualitates elementorum consequi materiam, idest, in esse physico indiuiduali, quod respectu esse metaphysici, & quidditatiui consequuntur formam, vt in materia, non formam vt formam, & sic dictum D.S. non repugnat suæ doctrinæ.

C.F. Qualitates elementorum conueniunt eis ratione suarum formarum, aut totius compositi, ergo non ratione materiæ.

P. Resp. distinguendo antecedens, vt causæ efficientis equiualenter saltem concedo. Vt causæ formalis nego, quare non sequitur consequens &c.

Contradictio LX.

C.F. Scotus quæst. 36. Vniuersalium, habet principia actionis, & passionis esse primo indiuidui. Oppositum habet 1. metaph. quæstione 6. vbi docet naturam esse principium actionis primæ, & non singulare inquantum tale, quamuis singulare sit conditio agentis, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Duplex esse principium, vnum Physicum, aliud

aliud Metaphyſicum, in hac quæſtione loquitur famosè de principio Phyſico, operatio nāque, & transmutatio Phyſica eſt natura ſingularis primo; In Metaphyſica vero loquitur de principio Metaphyſico, & ideo non contradicit ſibi.

Contradictio LXI.

C.F. D.S.citata quæſt. 36. dicit in argumento, quod lux in corpore luminoſo,& medio eſt actus lucidi in quãtum tale. Verum eadem quæſt.in ſolutione dixit oppoſitum,dixit enim nullum concretum dictum à luce ineſſe vniuocè, quia lucidum eſt concretum conueniens vtrique per ipſum, quare manifeſta contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. triplici modo allatæ contradictioni, & primo, Diſtinguendo de lucido, quod dupliciter poteſt accipi, videlicet pro ſubſtrato, & pro formali: in argumento accipit lucidum pro ſubſtrato, ideſt pro Diaphano, vt conſtat ex Philoſopho: in ſolutione vero accipit lucidum pro formali, quare ex his tollitur è medio contradictio.

Reſp. ſecundo, adhuc diſtinguendo de lucido, videlicet lucidum dupliciter alicui conuenire poſſe: Vno modo proprie quomodo conuenit corpori luminoſo, & non medio; alio modo extenſiue, & ſic poteſt dici conuenire medio;cum ergo noſter Doctor Subtiliſsimus negat conuenire medio propriè loquitur;

tur; cum vero concedit loquitur extensiuè, quare non contradicit sibi.

Resp. tertiò, Doctorem in responsione loqui topicè, & probabiliter, ait enim potest dici, hæcq; sunt verba ipsius. Ad secundum potest dici, quod si lux vniuocè sit in corpore luminoso, & medio, &c. quare constat, non loqui, assertiuè, sed conditionaliter, & ideo non extat contradictio in sua doctrina.

Contradictio LXII.

C.F. Scotus eadem 36. quæst. Vniuersalium in solutione secundi argumenti ait, intentiones proprij, & accidentis eatenus applicari rebus primæ intentionis, quatenus significantur in concreto. At in fine dictæ quæstionis oppositum concedit, ait enim albedinem, pariter risibilitatem esse speciem, quare aperta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. nullam adesse contradictionem, etenim secundæ intentiones applicantur primis, eo modo, quo definitiones in actu signato dato de secundis, possunt in actu exercito verificari de illis, modo definitiones proprij, & accidentis non possunt verificari in fundamentis in abstracto sumptis in actu exercito: v. g. est quod conuenit omni soli, & semper, non tamen sequitur ergo primo, & per se; similiter accidens est, quod adest &c. ergo homo est albedo, vel rubedo; non sequitur, sed solum accipitur quod sit albus, vel rubeus; nec Doct. Subt. postea concedit oppositum,

cum


cum dicit albedinem esse speciem: namque vt dictum est duplex est abstractio, pariter duplex concretio, videlicet ad supposita aliena, & propria, & facta abstractione à proprijs remanet concretio ad alia, iuxta illam propositionem, Quod aliquid est per se tale coniunctum cum posteriori, etiam separatum ab illo potest esse tale: modo cum album concernat sua, & aliena supposita; albedo vero non aliena, sed solum sua, ideo intentio speciei, non solum albo, sed etiam albedini congruè applicari potest. Verum quando fieret vlterior abstractio, v.g.dicendo quidditas albedinis, vel albedineitas, seu ratio formalis albedinis, non diceretur amplius species; quare constat non adesse contradictionem &c.



CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex Quæstionibus Prædicamentorum.



Contradictio Prima.

C. F. 
DOct. Subtil. quæst. 4. Prædicamentorum, aperte sustinet ens esse æquiuocum decem prædicamentis, quam doctrinam habuit quæst. 9. Vniuersalium. At 1. sent. dist. 3. quæst. 3. directè posuit oppositum, vnde Æmilius Acerbus, ait Doctorem Subtilem palinodiam cãtasse, ponit enim ibi ens esse vniuocum, quare euidentissimè sibi contradicit, cùm vniuocum, & æquiuocum differant per proprias rationes formales, & quidditatiuas.

Conciliatio.

P. Resp. varias afferre responsiones à Scotistis pro hac contradictione sedanda, quarum prior est nonnullorũ Scotistarum apud Antonium de Fantis in speculo rationalis disciplinæ art. 2. difficultate 10. circa finem, hi nimirum, negant librum prædicamentorum

esse D. S. & ità citò se expediunt à contradictione. Verum istis esset quoque negandus liber Metaph. vbi 4. quæst. 1. videtur confirmare doctrinam habitam in hac quæst. prout infra monstrabimus.

Alij apud prædictum Antonium de Fantis, quibus videtur se subscribere, aiunt Doctorem Subtilem fuisse problematicum, & ita non contradicit sibi.

Ipsemet Antonius de Fantis ait Doctorem sibi nō contradicere, quoniam in Logica incedere solet secundum positionem communem; in sententijs verò se determinare, hocque confirmat quoniam rationes quas habet in Logica soluit primo sententiarum; & ita non contradicit sibi, hanc eandem responsionem affert Iacobus Pistor. 1. sent. dist. 8. quæst. 3. contr. 8.

Alij apud Mauritium quæst. 9. Vniuersalium, dicunt Doctorem Subtilē in hac quæst. loqui de æquiuocatione Physica. Verum horum data responsione sequeretur nullum dari genus vniuocum in via sua, quod ex eius doctrina falsum esse passim colligitur.

Verum quicquid sit de istis responsionibus mihi maximè probatur responsio prædicti Maur. ibidem, his tamen notabilibus præmissis; &

Primo. Quatuor esse gradus vniuocationis. Primus est, vt habeat vnitatem rationis, modi essendi, ordinis essentialis, & gradus perfectionalis, & hoc modo in sola specie specialissima est vniuocatio. Secundus, vnitatem ordinis essentialis, vnitatem rationis, modiq. essendi. Tertius, habet vnitatem rationis, & modi essendi, & his duo modi sunt in generibus; v. g. animal dicit vnitatem rationis, vnitatem modi essendi, & vnitatem ordinis essentialis, sed non habet quartum gradum, scilicet, perfectionis

in-

intrinsecæ, vt specie specialissima. Quartus gradus habet tantum vnitatem rationis, ideo magis accedit ad æquiuocationem, vt est ens commune Deo, & creaturis: substantiæ, & accidenti, quia non dicit, nisi vnitatem rationis, & non habet eundem modum essendi, quia in Deo est independens, in creatura vero dependens.; pariter in substantia habet modum ex se essendi, in accidente vero modum essendi in alio.

Obser. secundo, ex Scot. 1. dist. 3. quæst. 3. nomine vniuoci intelligi illud, quod habet vnitatem, quæ sufficit tantum ad contradictionem, nam in æquiuocis, teste Philosopho 1. Elencorum, non datur contradictio: possumus enim dicere canis mouetur, & canis quiescit, intelligendo primam propositionem de sidere cælesti, & secundam de animali latrabili: At si dicam animal est substantia, & animal non est substantia, est contradictio. Adde nomine vniuoci intelligi illud, quod potest esse medium in syllogismo sine fallacia æquiuocationis: æquiuoca enim non ponuntur pro medio sine fallacia: v. g. omnis canis lucet: Quidam piscis est canis: ergo quidam piscis lucet: argumentum non valet, quia medium est æquiuocum.

Obser. tertio. (Scot. quæst. 4. Prædicam.) Vniuocum pro nunc duplex esse, aliud est limitatum, aliud vero transcendens. Vniuocum limitatum est conceptus prædicabilis de multis secundum habitudinem alicuius quinque vniuersalium à Porphyrio assignatorum, & hoc modo ens nequit dici vniuocum: Vniuocum vero transcendens est conceptus ex natura rei natum prædicari de omnibus, vel multis generibus generalissimis, vel de vno generalissimo, vel non

reponibili in ipso, & de aliquo, quod non continetur in genere, & hæc distinctio desumpta est ex Scot. (quicquid dicat Antonius de Fantis) quæst. præsenti 4. scilicet prædicamentorum.

Obser. quarto, vt probè obseruauit Ioannes Vigerius ad vniuocum transcendens duo requiri. Primum, vt sit vnum nomen; secundum, vt sit vnius conceptus formalis, seu ratio formalis dicibilis de pluribus.

His ergo obseruatis dico ad contradictionem Doctorum hac quæstione quarta, & nona vniuersalium loqui de vniuoco limitato secundum, tertium, & quartum gradum vniuocationis, quod autem loquatur de tali vniuoco limitato, clarè colligitur ex verbis ipsius Doctoris, quæ habet in hac quæstione, audi verba eius.

Intelligendum tamen est, quod vox apud Logicum simpliciter æquiuoca est, quia, scilicet æque primo importat multa, apud Metaphysicum autem, vel Naturalem, quo non considerant vocem in significando, sed ea quæ significantur secundum id, quod sunt, est analogica propter illud, quod ea, quæ significantur: licet inquantum significantur non habeant ordinem, tamen inquantum existunt habent ordinem inter se, ideo à Metaphysico 4. met. & 7. ponitur analogum ad substantiam, & accidens; quia scilicet hæc, quæ significantur in essendo habent ordinem, sed apud Logicum est simpliciter æquiuocum, quia inquantum significantur per vocem æque primo significantur; hæc habet Scot. & quidem dilucidè: vnde collige eum loqui hic de vniuocatione modo, quo exponi, & in sententijs loquitur de vniuocatione transcendenti, & ob id tollitur contradictio.

C.F. Au-

C.F. Audiui obseruationes subtilissimas, & conciliationem confirmatam verbis ipsius D.S. verum adhuc mihi videtur stare contradictio, & sic ostendo. Omnis conceptus vniuocus potest contradictionem fundare; sed ens commune decem prædicamentis, de quo loquitur Doctor quærens numquid decem prędicamentis sit vniuocum, non potest contradictiouem fundare, ergo nullo modo est vniuocum, nec habet vnum conceptum argumentum est in quarto secundæ figuræ. Maior vero probatur, quia oppositum prædicati infert oppositum subiecti: si enim non potest fundare contradictionem, hoc ideo est, quia est æquiuocum, & in æquiuocis, vt dictum est secundo notabili non est comparatio.

Confirmatur primo. Contradictio non est solius nominis, sed nominis, & conceptus: ergo vbicumque fuerit conceptus affirmando ipsum, & negando fiet contradictio. Antecedens est de intentione ipsius D. S. hac quæst. 4. vbi sustinet non valere consequentiam, Est substantia, ergo ens nisi præfata distinctione, quia in æquiuocis non est consequentia, 2. Perhier.

Confirmatur adhuc secundo. In primo principio, quod est de quolibet dicitur esse, vel non esse scribit Scot. quod termini non faciunt principium notissimum, nisi præfata distinctione.

P. Resp. ex eodem Doct. Subt. in hac quæstione, verum esse ens non posse fundare contradictionem logice, seu vniuocatione limitata, non tamen metaphysice, & vniuocatione illimitata.

Confirmationes vero concludunt de æquiuocatione logica, & sic fit satis rationibus à te abductis, quæ sunt Antonij de Fantis.

C.F. D. S. loquitur de eadem æquiuocatione, & vniuoca-

catione, nam omnes rationes quas hac quæſt. adducit, & non ſoluit; ſoluit in 1. diſt. 3. & 8. ergo loquitur de eadem æquiuocatione.

P. Reſp. te committere fallaciam eo quia in primo ſoluit rationes, quas in logica ob ſupra aſsignatam rationem, inſolubiles logice exiſtimauit; eaſdem ſecundum alium conceptum, ſcilicet tranſcendentem oſtendit, & ſic fit ſatis contradictioni, & quomodo Doctor non cantauit palinodiam, vt malè impoſuit ſibi Æmilius Acerbus.

Contradictio II.

C.F. S.D. eadem quæſt. 4. Prædicamentorum, necnon 4. metaph. quæſt. 1. negat hanc conſequentiam, valere eſt prædicatum in quid, ergo eſt vniuocum: oppoſitum docet 1. ſent. diſt. 8. quæſt. 3. vbi habet, quod ratio entis ſit ratio ſubiecti, dicetur enim de vtriſque in quid, & ita erit vniuocum vtroque modo, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Vigerius apud Iacobum Piſtorienſem loco ſupra citato reſpondet dicendo, quando æquiuocum prædicatur in quid, ſumitur pro prædicato ſubiecti, & eſt eiuſdem de ſeipſo prædicatum, vt aſſerentes ens eſſe æquiuocum ad ſubſtantiam, & accidens: ſi dicatur quod hæc ſit in quid ſubſtantia eſt ens intelligitur prout ens ſupponit pro ſubſtantia: quando autem dicitur canis lattrabilis eſt canis eſt in quid, non vt ſupponit pro voce æquiuoca, ſed vt ſupponit pro ſignificato ſubiecti, Scot. 8. diſt. 1. intelligit conſequen-

tiam

tiam de prædicato superioris respectu inferiorum, quia talis conceptus est alius, & includitur essentialiter in inferioribus, ergo est prædicatum in quid propriè loquendo, ita Vigerius apud dictum Iacobum. Respondet deinde ipsemet Iacobus dicendo à Doctore, non esse sumendam auctoritatem in Logicis, & Metaphysicis, eo quod sæpè loquitur communiter, & hanc ait esse meliorem responsionem.

Verum respondeo ex habitis supra de duplici vniuoco, scilicet, limitato, & illimitato, dum ergo Doctor negat consequentiam, intelligendus est de vniuoco limitato in quo non valet consequentia, est prædicatum in quid, ergo est vniuocum: dum vero 8. dist. 1. concedit loquitur de vniuoco trascendenter in quo valet, quare non adest contradictio in suis dictis.

Contradictio III.

C. F. Scotus eadem quæst. 4. Prædicam. negat omnem consequentiam ab ente ad aliquid, nisi facta prius disiunctione, & sumpto ente pro illo significato sumendo, v. g. ens pro substantia, tunc non est propriè consequentia substantia igitur ens, sed illatio eiusdem ex se idem dicit quæst. 8. Elench. soluendo secundum principale.

At quæst. 23. Vniuers. in responsione ad primum oppositum docuit, vbi dicit differentiam sumptam in vno sensu, scilicet, vniuoco, & respectu eiusdem posse esse principium consequentiæ: quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Dupliciter nos posse loqui, videlicet propriè, & extensiuè: hic D. S. loquitur propriè, vt patet ex verbis ipsius, quæ sunt hæc. Ad tertium nego omnem consequentiam ab ente ad aliquid, & è conuerso, nisi prius facta disiunctione, & sumpto ente pro illo significato, & tunc non est propriè consequentia. Hæc Scot. Vbi obserua ly propriè, & percipies modum loquendi hic: quæst. autem 23. Vniuersalium, loquitur extensiuè, prout pariter ex verbis ipsius venari potest, profero verba Doctoris. Ad primum argumentum patet, quod non sequitur ad diuidentia, neque definitur, vt æquiuocum, sed sumpta in vno sensu vniuoca est, & potest definiri, & esse principium consequentiæ. Hæc Doct. Vbi attende dictum in vno sensu, & percipies non loqui propriè, sed extensiuè, & abesse ab eo contradictionem.

Contradictio IV.

C.F. D.S. præcitata quæst. 4. Prædicamentorum in responsione ad nonum argumentum, dicit ad vnitatem scientiæ, sat esse vnitatem Analogiæ in subiecto: At hoc repugnat suæ doctrinæ, præcipuè 1. met. quæst. 1. & quæst. 3. Prologi, quibus in locis ex professo docet subiectum debere esse vniuocum, ergo euidenter sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. Pro conciliatione adductæ contradictionis debes

debes reuocare in memoriam dicta in Logica, videlicet ſcientiam dupliciter poſſe conſiderari, ſcilicet, propriè, & proprijſsimè, prout declaratum eſt ibidem. Quo ſtante dico nullam adeſſe contradictionem, ſi inſpiciatur adductus locus, quem in medium affero.

Ad aliud argumentum de ſubiecto metaph. dico, quod ad vnitatem ſcientiæ, ſufficit vnitas Analogiæ in ſubiecto, vt determinatur 4. metaph. ſcilicet, quod omnia quibus conuenit ſubiectum ſcientiæ, habeat attributionem ad vnum primum in eſſendo, & cognoſcendo: Cum oſtenditur ſubiectum eſſe neceſſario vniuocum, dico, quod omnes illæ auctoritates, & probationes procedunt de ſubiecto demonſtrationis. Quando autem ſubiectum ſcientiæ eſt Analogum de illo ſecundum ſe non fiunt demonſtrationes: hæc Doctor, vbi manifeſtè monſtrat de quo ſubiecto loquatur, nempè ſcientiæ propriè dictæ, non proprijſſimè: de prima inquam hic; de poſteriori, ſcilicet, proprijſſima loquitur 1. metaph. & quæſt. 3. Prologi, quare eſt immunis à contradictione.

Reſp. ſecundo. Doctorem hic tanquam locum exterum materiæ loqui ſecundum communem opinionem, & ideo non eſt contradictio in ſua doctrina.

C.F. Ex adducto loco Doctoris adhuc videtur ſtare contradictio, nam aſſerit manifeſtè ſubiectum poſſe eſſe Analogum, non vniuocum.

Addo in confirmationem contradictionis doctrinam ipſius in quæſt. de denominatiuis, vbi docet inter æquiuocum, & vniuocum non dari medium, & hoc communiter tenetur in ſua doctrina; nec dici poteſt, quod loquatur de Analogo vniuoco, nam littera iam iam à te adducta eſt ſatis clara, quod non ſit nec vniuocum, nec æquiuocum, ſed Analogum, ſci-

licet medium, ergo firma ſtat contradictio.

P. Reſp. vt ſupra dixi non loqui Doctorem de ſcientia proprijſſimè dicta, prout patet conſideranti textum ipſius, ibi, Cum oſtenditur ſubiectum &c. ait, Reſp. Dico, quod omnes illę auctoritates, & probationes procedunt de ſubiecto demonſtrationis, tn quomodo monſtrat ſe loqui de tali ſcientia, ſcilicet proprijſſimè, quæ eſt effectus demonſtrationis, & ideo tollitur contradictio.

Cum vltra addis eiuſmodi Analogum eſſe medium &c. quod eſt contra doctrinam ipſius Doctoris.

Iam dixi hic loqui communiter, & ideo non contradicit ſibi &c.

Contradictio V.

C.F. Scot.quæſt. rei prædicam.docet entia rationis, figmenta, priuationes, & negationes habere inter ſe ſuperioritatem, & inferioritatem ſimiliter genera, & differentias, ac ſpecies: Verum huic doctrinæ videtur contradicere directè in 1. diſt.3.quæſt.5.vbi apertè negat figmenta habere genus, & differentiam, quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. tripliciter adductæ contradictioni; & primo. Nego Scotum ſibi contradicere; etenim, vt ſæpius dictum eſt frequenter in Logica loquitur communiter, & non ad mentem propriam, prout etiam dixi ad ſuperiorem, & ideo nulla extat contradictio.

Reſp. ſecundo. Eſto D. S. hæc dicat dubitatiuè tamen, & in argumentis, quæ veluti topica admittit.

At

At in 1. ſententiarum determinatè, & ſecundum propriam mentem, & ideo nulla adeſt contradictio in ſuis dictis.

Reſp. tertio. Ex his quæ habet Antonius And. 4. metaph. quæſt. 2. vbi dicit negationem habere diſtinctam formalitatem ab affirmatione, quod dictum ſic communiter exponitur videlicet, quod habet diſtinctam formalitatem, eo modo quo ibi eſt formalitas: ita in propoſito D. S. quæſt. 22. Prædicamentorum ait, quod eo modo quo ſunt eo modo proportionabiliter habent genera, & differentias, at ex hoc non ſequitur, quod habeant genera, & differentias ſimpliciter eo modo quo negat in primo ſententiarum, & ita non contradicit ſibi Doctor.

Contradictio VI.

C.F. Subtilis Doctor quæſt. 15. Prædicamentorum, negat ſubſtantiam per ſe, nec verè prædicari de partibus ſubſtantiæ. At quæſt. 16. Vniuerſalium docet oppoſitum, vbi vult prædicationem ſuperioris de inferiori eſſe vniuerſaliter veram, quod contradicit doctrinæ aſsignatæ eo, vel maximè, quoniam partes ſubſtantiæ (vt de ſe patet) ſunt inferius ad ſubſtantiam, quare vel hic, vel ibi maledicit.

Conciliatio.

P. Reſp. iterum tripliciter, & primo, ex ipſo S. D. hac ipſa quæſt. diſtinguendo de partibus: Aliæ enim ſunt partes eſſentiales quæ, ſcilicet, eſſentiam ſubſtantiæ conſtituunt vti ſunt materia, & forma: Aliæ ſunt partes quantitatiuæ, quæ non ſunt ſubſtantiæ, quatenus

ſubſtantia eſt, ſed quatenus eſt quanta, & extenſa: Aliæ ſunt partes ſubiectiuæ cuiuſmodi ſunt inferiora: Hoc ſtante dico, dum Subtilis Doctor negat ſubſtantiam &c. negat quoad partes eſſentiales, & quantitatiuas: dum vero quæſt. 16. Vniuerſalium, affirmat quoad partes ſubiectiuas intelligi debet, & ideo tollitur ab eo contradictio.

Reſp. ſecundo, diſtinguendo de duplici ſubſtantia, videlicet Analogica, & Prædicamentali; hac ſuppoſita diſtinctione dico, dum Doctor negat ſubſtantiam &c. negat de prædicamentali ſubſtantia, non de ſubſtantia analogicè ſumpta, & ideo non contradicit ſibi.

Reſp. tertio. Dupliciter poſſe intelligi prædicationem. Vno modo in abſtracto, & in recto. Alio modo in obliquo, & in concreto hac diſtinctione ſtante, dico Doctorem negare in abſtracto, & concedere in concreto, quare nulla contradictio in ſua doctrina.

Contradictio VII.

C.F. Doct. Subtil. præcitata quæſt. 15. Prædicam. dicit ſubſtantiam eſſe æquiuocum, vt dicitur ens per ſe; Verum ipſa eadem quæſt. hanc doctrinam deſtruit, dum dicit eſſe generaliſſimum, quod ex communi omnium ſententia eſt vniuocum, quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. Nullam adeſſe contradictionem; nam dum Doctor dicit ſubſtantiam eſſe æquiuocum intelligit

reſpectu eorum, quæ ſunt per ſe, & reductiue in ipſa, de his enim quæ ſunt per reductionem in genere non oportet genus in abſtracto prædicari: dum vero dixit eſſe generaliſsimum intelligendus eſt reſpectu eorum, quæ in ipſa in recta linea, & ideo non contradicit ſibi Subtilis Doctor.

Contradictio VIII.

C.F. Scotus hac ipſa quæſt.15. Prædicamentorum, dicit, ex non ſubſtantia fieri ſubſtantiam: oppoſitum tuetur in 1.diſt.26. quæſt. vnica, vbi id negat: habet enim ſubſtantiam non eſſe ex non ſubſtantia, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. negando Doctorem ſibi contradicere, nam in Prædicamentis, vt ipſemet docet nomine non ſubſtantiæ intellexit id, quod non habet generaliſsimum ſubſtantiæ, quod de illo poſsit quidditatiuè prædicari. In primo vero per non ſubſtantiam rem alterius generis intelligit; quare ſibi non contradicit.

Contradictio IX.

C.F. D.S. prædicta quæſt.15. prædicamentorum, dicit, formam, & materiam eſſe magis entia compoſito. Verum 7.metaph. quæſt. 10. docet oppoſitum, vbi vult compoſitum eſſe magis ens materia, & forma, ergo euidens contradictio.

Con-

Conciliatio.

P. Resp. Aliquid esse magis ens posse dupliciter considerari, vno modo in ratione causalitatis, & independentiæ, alio modo in ratione continentiæ: his habitis dico Doctorem hac quæst. loqui priori modo, scilicet, in ratione causalitatis etenim cum compositum cum causetur dependet à materia, & forma, ideoque tali ratione dicitur minus ens. At 7. metaph. loquitur posteriori modo, scilicet in ratione continentiæ, cum enim ambo contineat dicitur magis ens, & ideo tollitur contradictio.

Contradictio X.

C.F. S.D. quæst. 17. Prædicam. asserit istam propositionem esse veram, ac in primo modo, Quantum est diuisibile, & quantitas est diuisibilitas. Verum 5. metaph. quæst. 9. destruit hanc doctrinam vbi habet diuisibilitatem esse primam passionem quantitatis, & non de essentia eius profero verba ipsius. Concedo, quod diuisibilitas est prima passio quantitatis, & non de essentia eius: Vnde sicut hæc est per se secundo modo color est visibilis, sic hæc quantitas est diuisibilis. Hæc Scotus; ergo si prima passio non est in primo modo, & si in secundo, non in primo, quare sequitur Doctorem sibi manifestè contradicere.

Conciliatio.

P. Resp. Doctorem sibi non contradicere nam in Prædicamentis loquitur in opinione aliorum; 5. vero me-

metaph. ex intentione propria, etenim considerare rationes reales decem generum per accidens attinet ad Logicum, prout prima disput. Prædicam. diximus. Ad Metaphisicum vero per se: quare ad hoc, quod intentio generalissimi, quam per se considerat Logicus applicetur quantitati, sufficit, vt dicat aliquem vnum conceptum, & vt habeat aliquam vnam rationem conuertibilem, siue quidditatiuam expressam, siue implicitam circumloquutam per denominationem, siue quidditatiuam rationem: Metaphysicus autem intimius speculando cognoscit esse passionem id quod Logicus existimat de essentia, & in primo modo, quare nulla extat contradictio.

Contradictio XI.

C.F. Scotus quæst. 25. Prædicam. vult relationem distingui penes terminum, & hanc sententiam confirmat quæst. 15. Vniuersalium, & 2. sent. dist. 1. quæst. 4. & 5. At 1. sent. dist. 7. quæst. vnica, §. loquendo nunc de potentia, id negat 5. relationem distingui penes terminum, ergo aperta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Prænotando quatuor modis posse dici, distingui relationem à relatione. Primo, formaliter, & per suam propriam differentiam vltimam. Secundo, penes fundamentum ex libro 5. metaph. quæst. 13. & Ant. And. quæst. 16. Tertio, vna relatio distinguitur ab alia penes terminum, vt docet Philosophus cap. de Ad aliquid in prædicamentis. Quarto, vna relatio distinguitur ab alia penes principium elicitiuum,

tiuum, vt habet Scotus in 1. dist. 7. qua distinctione stante dico Doctorem in hac quæstione loqui de distinctione tertio modo, in primo autem loco adducto loquitur de distinctione penes principia elicitiua, & ideo nulla contradictio.

C. F. Hæc responsio videtur mihi contra determinationem Doct. Subt. 1. sent. dist. 13. vbi impugnat hanc distinctionem penes principia elicitiua, ibiq. citat se impugnasse hanc distinctionem penes principia elicitiua, ergo responsio non est ad mentem Scoti.

P. Doct. Scotum te citare, quoad hoc quod relatio nô possit esse tale principium elicitiuum, per quod habeatur ista distinctio, idque verè habetur citata distinctione 7. & hoc constat si ponderes litteram Scoti dist. 13. vbi habet in positione Henrici. Aliter dicitur, quod emanationes distinguuntur penes principia formalia elicitiua, & ponuntur esse relationes Personarum producentium puta vis generatiua, & vis speratiua. Hæc Scot. vbi pondera ly ponuntur esse relationes &c. & percipies Doct. sibi non contradicere.

Contradictio XII.

C. F. Doctor Subtilis eadem quæst. 25. Prædicam. negat enti, quod est ex sola consideratione rationis, & enti reali esse aliquid commune vniuocum. Verum quol. 3. docet oppositum ponit ens, prout commune vtrique enti, scilicet, reali, & rationis esse vniuocum: hoc autem probari potest ratione eadem, qua vtitur ipse Doctor ad probandum ens esse vniuocum Deo, ac creaturis, nam benè sequitur omnis certus de vno conceptu, & dubius de diuersis in quibus quidditatiuè includitur, habet conceptum alium ab illo de

quo est certus ab illis de quibus est dubius, & vniuocum illis. Sed intellectus potest esse certus de aliquo quod sit ens, & dubitare an sit reale, vel rationis, ergo ens, vt diuiditur in ens reale, & rationis dicit aliquem conceptum vniuocum illis.

Præterea ens commune enti reali, & rationis de facto ponitur obiectum intellectus, & est vnum intelligibile, ergo erit vniuocum, & per consequens contradictio in dictis D.S.

Conciliatio.

P. Resp. circa hanc contradictionem esse magnam controuersiam inter Scotistas, varièq. respondent nam Bargius in 1. dist.3. quæst.3. ait Scotum circa hoc fuisse problematicum, & citat ipsum in 1. Reportatorum dist.29. vbi habet tenere partem affirmatiuam, & hanc positionem videtur sequi Iacob. Pistor. in contradictionibus 1. dist.3. quæst.3. contrad.9. dum ait, id semper fuisse problematicum in via Scoti, num ens sit æquiuocum, vel vniuocum, & sic secundum istos tollitur contradictio.

Alij vero, videlicet, Ioannes Anglicus quæst. 3. & Hieronymus Gadius Bononiensis quæst. 3. quol. Verum discrepant in expositione, quomodo, scilicet, intelligatur ens rationis, nam Anglicus vult esse quidem vniuocum enti &c. sumendo ens rationis pro secundis intentionibus; & pro hac opinione citat Bonectum 1. suæ metaph. cap.15. Gadius autem alia vtitur distinctione, videlicet, Ens rationis sumi dupliciter, vno modo pro illo, quod secundum se totum caufatur ab anima, vt secundæ intentiones, alio modo pro illo, quod secundum esse cognitum est productum

ab anima, & hoc modo, ait, ens dici vniuoce, non primo. Hanc etiam opinionem tuetur Biel. 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 8. & nouiſsime P. Mag. Alexander Porticii Regens Ianuæ, & Bernardinus Leonellus Aſſiſias. Verum ſecundum iſtos non poteſt ſaluari Doctor à contradictione reali.

Alij verò Scotiſtæ communiter tenent oppoſitum, videlicet, Antonius Andreas quæſt. 1. prædic. & 5. metaph. quæſt. 7. in ſolutione vltimi, Antonius Syrecti in formalitatibus §. Reſpondeo in iſta quæſt. Ant. Trombetta 1. metaph. quæſt. 1. Laurentius Brixienſis in expoſitione Iſagocica formalitatum, Ioannes Canonicus 1. phyſic. Io. Dudruet. lib. 2. formalitatum, Faber theor. 95. cap. 2. circa finem, & theor. 97. in principio, Mauritius quæſt. 5. vniuerſalium, & in adnotationibus metaph. Ant. de Fantis in ſpeculo rationalis diſciplinæ art. 2. difficult. 10. de ſecundarum intentionum intelligibilitate, Vigerius apud Bargium, & Iacobum Piſtorienſem, Petrus Tatar. 1. phyſ. not. 3. Gabriel Zerbus 1. met. quæſt. 1. Petrus Poſtn. 1. ſen. diſtin. 3. quæſt. 2. diſp. 4. concl. 1. Bartholomæus Maſtr. & alij apud ipſum, videlicet Poncius, hi omnes vnanimi conſenſu volunt huiuſmodi diuiſionem eſſe vocis in ſignificationes, & hæc poſitio eſt communior, prout ex adductis conſtat, & fatetur Iacob. Piſtor. diſt. 29. 1. & eſt ad mentem D.S. prout adnotauit in ſua doctrina verſatiſsimus Mauritius in caſtigatione Theor. §. ſequitur illa particula conceptuum reſolutio: ibi vlterius ſequitur: quinimmò euidenter habetur 1. quæſt. quol. vbi habet Doctor, Ex ente reali, & rationis non fieri per ſe vnum, idipſum docet quæſt. 3. Prol. & diſt. 13. 1. & ſi aliquando videtur dicere oppoſitum, videlicet 3. quæſt. quol. à te adducta, dico ibi Doct. non

loqui

loqui aſſertiuè, prout ex verbis ipſius, quæ tibi adduco intelligere poteris; Non ergo nomen rei, ſecundum vſum loquendi, determinat ſe ad rem extra animam, & in iſto intellectu communiſſimo, prout res, vel ens dicitur quodlibet conceptibile, quod non includit contradictionem, ſiuè illa communitas ſit analogiæ, ſiuè vniuocationis, de qua non curo modo, poſſet poni primum obiectum intellectus. Perpende verba, non curo modo: & poſſet poni, & percipies non loqui aſſertiuè &c.

C.F. Dilectiſsime Magiſter, ſubuenit mihi locus Doct. Subtil. 2. ſent. diſt. 24. relatus à Iacobo Piſtorienſi loco à te adducto, vbi dicit hæc verba: Si ens eſt æquiuocum enti reali, & enti rationis non eſt aſsignandum tunc vnum obiectum adequatum ipſi intellectui; & ſubdit propter perfectionem intellectus eſt, vt ipſe ad tot ſe extendat, quod nullum habeat ſibi obiectum vnum adæquatum, & vnius rationis, ergo Doct. Subtil. abſolutè, & aſſertiuè loquitur, & conſequenter ſtat contradictio.

P. Reſp. priora verba malè aſſignari, non enim habentur apud Scotum, ſed hæc verba quæ adduco. Et ſi Eſſentia Diuina non ponatur eſſe obiectum primũ intellectus creati, cum ſecundum communiter loquentes creato, & increato, nihil poſſit eſſe commune vniuocum, ſequitur, quod potentia non organica non habebit vnum obiectum vnius rationis, & adequatum. Hæc Doct. Subt. vbi pondera verba, quomodo, ſcilicet, loquatur de ente reali, ait enim creato, & increato &c. quæ ſunt entia realia, quare non currit contradictio.

C.F. Optarem, vt mihi locum primi reportatorum adductum à Bargio conciliares, in quo eodem refe-

rente, ait, ens vtrique enti commune esse vniuocum, Confirmatur ratione, ens, vt sic communisśimè sumptum est intelligibile, estque obiectum intellectus. At obiectum intellectus debet esse vnum, ergo ens, vt sic erit vnum.

P. Resp. primo, cum Veglense, negando libros reportatorum esse Scoti, eo quod sint diuersi ordinis, ac in pluribus contradicant libris Oxuniensibus &c.

Resp. secundo, cum Mauritio, in castigatione Theor. vbi supra, ibi, D. S. loqui quoad prædicationem, & vnitatem analogiæ, non tamen ex propria mente, adeo vt velit asserere esse vniuocum, & ideo tollitur contradictio.

Ad confirmationem vero distinguo maiorem indirectè, secundariò, chimericè concedo: Directè, formaliter, & realiter, hoc est, vt habens esse obiectiuum, nego, ad minorem, dist. Obiectum &c. Directè, formaliter, & realiter: concedo, indirectè, secundariò, & chimericè, nego, quare non sequitur ens communisśimè debere esse vniuocum.

Ad rationes verò adductas in principio, dico, non esse simile, nam Deus, & creatura conueniunt in conceptu entitatiuo, ens vero reale, & rationis in sola voce, & ideo intellectus nequit esse certus de conceptu, & per consequens ens communisśimè sumptum nequit dici vniuocum.

C.F. Adhuc ratio videtur stare, nam quotiescumque aliquis conceptus competit pluribus, & non vni per alterum, competit illis per aliquem conceptum communem, sed conceptus entis competit enti reali, & enti rationis, & non vni per alterum, ergo per aliquem conceptum, ergo intellectus erit certus de conceptu, & non de voce tantum, & per consequens

ens communisſimè ſumptum erit vniuocum.

P. Reſp. negando enti reali, & rationis competere conceptum entis, ſed ſolam vocem, & in hoc ſiſtendum, & ob id, quia minor eſt falſa, non concludit ratio.

C.F. Entia rationis ex Scoto quæſt. 5. Vniuerſalium, ſunt per ſe intelligibilia, ergo cadunt ſub obiecto intellectus; & per conſequens vera eſt minor.

P. Reſp. prout dixi ſupra de ente communiſsime ſumpto, videlicet, eſſe intelligibile indirectè, & ſecundariò, ita entia rationis eſtò ſint intelligibilia, non tamen primo, ſed ſecundario, ſcilicet, virtute entis realis, & ideo ratio non cogit.

C.F. Optarem mihi inſinuares reſponſionem rationi Piſtorienſis, Gabrielis, & Bonetti; videlicet, quod ſtante tali entis æquiuocatione non poſſet aſſignari vnum obiectum adequatum intellectus terminatiuum, eo, vel maximè, quia ſecundæ intentiones ſunt verè intelligibiles.

P. Reſp. negando aſſumptum, & ad id, quod addunt de ſecundis intentionibus &c. iam dixi verum eſſe ſecundario; eſtò Franciſcus Mayronus 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 2. neget entia rationis eſſe per ſe intelligibilia, prout diximus diſp. 2. Logicę in tract. de ente rationis.


Contradictio XIII.

C.F. Scotus quæſt. 28. Prædicam. habet, relatiua eſſe ſimul natura, videlicet Patrem, & Filium, quia correlatiua: idipſum habet quæſt. 3. quol. iuxta doctrinam Peripateticam c. de ad aliquid, & 5. met. tex. com. 20. Oppoſitum profitetur quæſt. 4. quol. vbi aſſerit Patrem præcedere Filium natura, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Prioritatem naturæ duobus modis consueuisse sumi, aliquando enim est præsuppositio huius ab hoc tantum; quæ conuertitur cum prioritate originis, & sic intellectus diuinus est prior natura voluntate, & homo prior natura risibilitate, & Pater prior natura Filio.


Alio modo prius natura est à quo non conuertitur subsistendi consequentia, quam Arist. definit in capitulo de priori; & hoc Pater non est prior, sed simul natura cum ipso Filio, prout Doctor in hoc loco, & 3. quæst. quol. asserit benè inquam sequitur, est Pater, ergo Filius, est Filius, ergo Pater, quæst. vero 4. quolibet, loquitur de prioritate priori modo, quare nulla extat contradictio in doctrina Doct. Subtilis.



CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex Primo Libro Perhiermenias.



Contradictio.

C. F. 
Vbtilis Doctor quæst. 2. substinet nomen significare tam in rem, quàm conceptum; verùm eadem quæst. docet oppositum, scilicet, significare rem tantùm, quare euidens contradictio in sua doctrina.

Conciliatio.

P. Respondeo. Nullam adesse contradictionem, nam Doct. Subtil. in adducta quæst. problematicè incedit, rationes enim pro vtraque positione resoluit, prout in quæstione videre est.

Respondo secundo. Doctorem Subtilem ibidem loqui in opinione aliorum, vt ex ipsa quæst. videre est, ait enim primo. Ad quæstionem dicitur, quod species intelligibilis immediatè significatur per vo-

cem.

cem. Hæc Scot. & secundum hanc positionem soluit rationes probantes significare rem &c.


Deinde habet ad partem oppositam quæstionis. Aliter dicitur, quod res primo significatur &c. & secundum hanc positionem sustinet nomen significare rem, & conceptum, & soluit rationes pro alia positione. Quare constat quomodo Doctor sibi non contradicat.



CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex Quæſtionibus Animaſticis.



Contradictio Prima.

C. F.  Oct. Subtil. quæſt. 9. de Anima, apertè profitetur ſenſum communem non eſſe potentiam propriè collatiuam. Verum 4. ſent. diſt. 45. quæſt. oppoſitum videtur docere, dum ait ſenſum poſſe aliquo modo reflectere in actum præteritum, ergo erit potentia collatiua, & conſequenter ſibi contradicit.

Conciliatio.

P. Reſp. primo. Nullam adeſſe contradictionem in dictis D.S. etenim in 4. probabiliter intendit defendere memoriam eſſe in parte ſenſitiua, ſed paulò poſt aliam partem problematis probabilius defendit, memoriam non eſſe in parte ſenſitiua, ſed intellectiua. Quare cum aliquas adducit ibi perſuaſiones diſputatiuè problema defendendo, nulla auctoritas de men-

te ipsius accipienda est ad probandum oppositum doctrinæ Animasticæ.

Præterea respondeo secundo. Quod esto auctoritas esset ibi affirmatiua, adhuc tamen nihil efficeret contrarium doctrinæ Animastice, nam non dicit absolutè se posse reflectere, sed aliquo modo, quod idem est, ac dicere impropriè, prout in præsenti dicit sensus, non est propriè potentia collatiua, quare nulla adest contradictio.

Contradictio II.

C.F. D.S. quæst. 12. de Anima, §. Ad quæstionem tenet intellectum posibilem esse virtutem actiuam; adduco verba ipsius Doctoris. Dicendum ergo, quod potentiæ animæ respectu suarum operationum sunt actiuæ, aliter nimis vilescerent, vt patebit. Probo autem auctoritate Philosophi 3. de Anima probantis, quod anima est principium effectiuum, non solum vegetandi, sed etiam sentiendi, & idem est de actu intelligendi, licet ibi non exprimatur; & expresè dicitur 9. metaph. quod sentire, & intelligere sunt actus immanentes in agente. Hæc D. S. & plura infra subdit ad probandam actiuitatem. Verum quæstione 15. quol. oppositum docet, videlicet esse virtutem passiuam, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. dupliciter. Primo, Doctorem Subtilem esse problematicum, prout videre est quæst. 15. quol. à te adducta

Resp.

Resp.secundo. Intellectum possibilem esse passiuum, siue actiuum, diuersimodè esse intelligendum; etenim prout recipit, passiuus dicitur, iuxta illud Philosophi, intelligere est pati; at verò, vt dicit, & operatur, est actiuus, quæst. 15. quol. loquitur priori modo, ad hoc, vt ponat differentiam intellectus possibilis ab agente intellectu, hic vero loquitur secundo modo, prout videre est ex probationibus abductis, & præsertim ex prima desumpta ex Com. secundo de Anima, vbi manifestè tradit distinctionem iam allatam: Intellige verba: Item dicit Com. super secundum de Anima, quod dictæ potentiæ sunt patientes in quantum impressionem obiecti recipiunt, & agentes in quantum de obiectis iudicant. Hæc Doct. vbi pondera verba, & percipies quomodo sit immunis à contradictione.

Contradictio III.

C.F. Scot. quæst. 13. de Anima, habet intellectum agentem non differre à possibili, nisi ratione ratiocinante, prout ex verbis ipsius Doctoris venari potest; adduco textum ipsius. Alij dicunt tamen, & probabiliter, quia intellectus agens, & possibilis, non differunt re, sed ratione, vel officijs, quia intellectus, vt eliciens actum intelligendi dicitur agens, vt recipiens autem dicitur possibilis. Hæc Doct. Verum supra oppositum docuit realiter differre illis verbis, Sic etiam intellectus, & voluntas mouent se ad actus suos; modo ita est secundum Philosophum, quod intellectus agens, mouet intellectum possibilem ad actum primum; non tamen ad actum secundum, ideo realiter differunt seipsis: ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Nullam adesse contradictionem, nam in prædicta quæstione loquitur topicè, & in opinione aliorum, prout ex verbis Doctoris à te primo loco adductis patet, & ideo tollitur contradictio.

Contradictio IV.

C.F. D. S. eadem quæstione 13. de Anima, tuetur intellectum agentem realiter distingui ab intellectu possibili: oppositum docet 2. sent. dist. 16. vbi docet potentias animæ esse idem inter se realiter, quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. vt dixi supra D. S. hac quæst. loqui secundum opinionem aliorum, habet enim hæc verba. Volunt aliqui: loquitur inquam ad mentem Alexandri, immò Aristotelis qui in lib. de Anima, cap. de intellectu agente putauit intellectum agentem esse lumen collige ex verbis Scoti. Et ideo (ait) si intellectus possibilis est aliquid animæ nostræ oportet ponere intellectum agentem substantiam separatam, secundum ipsum, & huic concordat sacra Scriptura, quæ ponit Deum esse illud lumen, quod ponit Arist. intellectum agentem. Hæc Doct. considera ergo verba (secundum ipsum) & postrema, & sic dissoluetur apparens contradictio in dictis Doctoris Subtilis.

Contradictio V.

C.F. Subtilis Doctor quæst. 15. de Anima, docet Angelum, & animam componi ex materia, & forma, quam doctrinam secundo Sententiarum de Anima, in speciali confirmare videtur. Verum in sua doctrina, vbique oppositum asserit, vt videre est 2. metaph. quæst.3.vbi demonstrat dari substantias expertes materia, 1.sent. dist.3. quæst. 7. §. Ad primum in oppositum, vbi hæc habet verba ad primum in oppositum concedo, quod anima, quia immaterialis est, est receptiua cuiuslibet intellectionis: quinimmò eodem 1.dist. 8. manifestè fatetur dari aliquam creaturam compositam ex actu, & potentia obiectiua. At clarè constat in doctrina D.S. potentiam obiectiuam esse potentiam contra distinctam à materia, nec eam includere, quare secundum ipsum illa creatura, scilicet, Angelus, vel anima, composita ex potentia obiectiua, non includet materiam; eandem doctrinam habet in 1.Report.dist.45.quæst.2. vbi docet intellectum esse omnino immaterialem. Insuper eodem 1. Report.dist.8.quæst.2. habet hæc verba. Sed aliam conclusionem probat 12. metaph. quod est omninò immateriale, est omninò extra materiam non est existentium per se, neque per accidens, neque concomitatur extensionem in magnitudine, sicut intellectiua, quæ neque extenditur per se, neque per accidens, licet sit perfectio extenso. Addo locum 2. sent. dist. 3. quæst.7. §. Ad primum ita scribit, sed discordamus ab eo; (scilicet Philosopho) in hac propositione: Omnis quidditas carens materia est formaliter necessaria: hanc doctrinam confirmat ex professo q. 9. quol.

quol. & pluribus in locis, ergo euidens contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp. Variè respondere (quemadmodum sensere Scotistæ) namque Nissa in tract. de Ang. 5. tract. 2. Port. 1. quæst. 3. Petrus de Aquila 2. sent. dist. 3. quæst. 1. tuentur de mente Scoti priorem doctinam, scilicet, quæst. 15. de anima: Verum secundum hanc doctrinam non potest saluari Doct. à contradictione.

Alij dixerunt Doct. Subtil. esse problematicum, modo hanc modo illam tuetur partem.

Alij apud Maur. quæst. 26. Vniuersalium, respondent D. S. nomine materiæ intelligere quidditatem quandam limitatam, & ob id secundum istos non contradicit sibi Doct. cum non loquatur propriè de materia.

Mauritius quarto loco ait, Doctorem Subtilem loqui de materia proportionabiliter, quam dicit esse genus, hocque confirmari potest ex ipso Doct. vbi habet. Ad quæstionem dicendum, quod in Angelo, vel anima non est materia, quæ est eiusdem rationis cum materia corporalium: At secundum suam doctrinam 2. dist. 14. vna est tantum materia, & ideo responsio non quietat, nam contra ipsum militat ratio Scoti, ibi &c.

Respondeo, ergo aliter D. S. in hac quæstione animastica loqui tantum topicè, ac probabiliter, ait enim. Probabiliter potest dici, quod in anima sit materia, quare non loquitur sententialiter, & ideo non adest contradictio in suis dictis: Doct. nomine materiæ, intelligere materiam met. &c.

Con-

Contradictio VI.

C.F. Scotus hac eadem quæst.15. habet Angelum, seu animam componi ex materia,& forma diuersæ rationis à materia corporalium: At 2. sent. dist. 14. de materia Cæli, arguendo contra D.Thom.oppositum docet, negando inquam diuersitatem materiæ, prout ex argumento videre est; nam tunc (ait) essent duæ materiæ primæ alterius, & alterius rationis, consequens est falsum, ergo, & antecedens probatio falsitatis consequentis, non sunt duo fines primi,nec duo efficientes primi; alterius, & alterius rationis, ergo, nec similiter duæ materiæ primæ, alterius, & alterius rationis. Hæc Scot. ergo euidens contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp. negando D. S. absolutè ponere alteritatem materiæ Physicæ, sed dum ait, quod sint diuersæ rationis intelligendus est de materia Metaphysica,hocque collige ex citata quæst. ac probatione prædictæ conclusionis, quam tibi adduco. Quia non diceres eas diuersarum rationum, nisi vna esset perfectior, & nobilior alia, si spiritualis est nobilior corporali, aut igitur est perfectior in actualitate, igitur non est materia prima, quæ nihil actualitatis habet si in potentialitate igitur est imperfectior, cuius oppositum supponebas, quia potentialius est imperfectius. Hæc D. S. vnde colligitur ipsum velle tantum vnam materiam Physicam, eiusdemq. rationis, quare non est in contradictione.

Con-

Contradictio VII.

C.F. D.S. hac eadem quæſt. 15. in recitata probatione aſſertionis, negat materiam primam habere aliquam actualitatem, cuius ratio deſumi poteſt ex his quæ docet 2. ſent.diſt.12.quæſt. §. ſequitur 2. videre, vbi monſtrat materiam eſſe omnino alterius rationis à forma, quod non eſſet ſi materia haberet aliquid actualitatis: At eodem 2. ſent. eademq. diſt. 12. q. 1. manifeſtè profitetur oppoſitum, vbi contra D.Thom. materiam ſuo actu eſſe præditam, quare euidenter ſibi contradicit.

Conciliatio.

P. Reſp. Pro ſolutione adductæ contradictionis, debes animaduertere actualitatem duplicē reperiri. Prima eſt completa, quam formalem vocant; altera eſt incompleta, quam vocant actum exiſtendi materiæ. Dum ergo D.S. hic negat materiam primam habere actualitatem, loquitur de actu priori modo: dum autem affirmat poſteriori modo efficit, & ideo non adeſt contradictio.

Reſp. ſecundo. D. S. hic non loqui propriè ſecundum propriam mentem, ſed famosè, ſcilicet, ſecundum opinionem aliorum, eſt enim locus improprius &c. & ideo non eſt contradictio.

Contradictio VIII.

C.F. S.D. eadem quæſt. 15. negat materiam eſſe cauſam corruptionis. At 2. ſent. diſt. 12. & in 3. diſt. 22. docet

cet oppositum, videlicet, materiam esse causam corruptionis, dicit enim in tertio, quæ habent materiam in esse existentiæ, esse corruptibilia, ergo manifesta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Pro solutione huius contradictionis, duo debes obseruare. Primo, materiam dupliciter posse considerari, Primò modo secundum se præscindendo à connexione formarum; alio modo, vt dicit connexionem ad formas, estq; annexa formis contrarietate naturali.

Obser. secundo, materiã esse causam corruptionis dupliciter posse considerari, scilicet, subiectiuè, seu per modum subiecti; aliò modò obiectiuè, seu per modum termini. Prior est materiæ, posterior formæ, vel compositi, qua res potest esse, & non esse virtute agentis naturalis, vel cuiuscunq; potentis ipsam corrumpere. Quando ergo D.S. dicit materiam esse causam corruptionis, loquitur priori modo, subiectiuè, videlicet, & vt dicit connexionem ad formas, illisq; est annexa; & sic loquitur in secundo, & tertio, dum dicit materiam esse causam &c. In hac quæstione verò loquitur de materia secundum se, idemq; dicit illa m definitionem materiæ, scilicet, qua res potest esse, & non esse, non conuenire materiæ secundum se, sed vt est annexa formæ naturali contrarietate, & loquitur in hac quæst. obiectiuè, hoc totum confirmatur ex responsione, quam habet ad replicam, vbi habet: Dicunt aliqui, quod non est inconueniens, Cœlũ m quantum est de se esse corruptibile, quia ratione materiæ, tamen connexio materiæ, & formæ eius, est ne-

cessaria ratione formæ tantum. Hæc Scot. quare &c. & sic tollitur contradictio.

Contradictio IX.

C.F. Scotus eadem quæst. 15. de Anima negat Cœlum esse corruptibile, cum sit incorruptibile ratione partis principalis, quia scilicet materia Cœli determinatur à forma ad vnam partem tantum.

At 2. sent. dist. 14. quæst. 1. hanc doctrinam videtur destruere vbi habet hęc verba. Quantum enim ex natura sua esset simpliciter corruptibile, quia sibi inesset illa potentia ad contrarium, quare euidenter sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. Nullam adesse contradictionem si attendatur modus loquendi D. S. tum quia in hac quæst. dicit ex aliorum opinione, ait enim: Dicunt aliqui &c. tum etiam, quia dato eum loqui secundum suam sententiam in hac quęst. loquitur secundum opinionem Philosophicam: in secundo vero sententiarum loquitur vt Theologus; quare secundum hunc modum loquendi suam profert sententiam, ideoque non adest contradictio in suis dictis.

Contradictio X.

C.F. D.S. quæst. 16. de Anima, asserit speciem specialissimam esse primum cognitum ab intellectu nostro, hocq; cognitione actuali confusa, quam doctrinam confirmat in 1. dist. 3. quæst. 2. & ita tenetur communiter in sua doctrina.

At 1.metaph. quaest.vlt. oppositum directè profitetur, vult enim ibi, in cognitione confusa primum cognitum nostri intellectus esse vniuersale m agis, quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Praemittendo nonnulla, videlicet aliud esse loqui de cognitione confusa actuali, aliud vero de cognitione confusa potentiali.

Praemitto secundo, cum Landulfo Neapolitano, Confusum esse duplex, videlicet confusum vniuersale, alterum vero essentiale: Confusum vniuersale est distinguibile in partes subiectiuas: Confusum vero essentiale est distinguibile in partes essentiales: his ergo obseruatis.

Resp. primo. D.S.in hac quaest. quemadmodum, & in primo loqui de cognitione confusa actuali, primo vero metaph. de cognitione confusa potentiali, & ideo non adest contradictio in suis dictis.

Resp.secundo. In hac quaestione Doct. loquitur de confuso essentiali, in metaphysica vero de confuso vniuersali, ideo nulla contradictio.

Resp. tertio. Non adesse contradictionem, nam vt notauit Vegliensis, & ante ipsum acutissimus Scotistarum Mauritius, D. S. in metaph. frequenter sequitur communem positionem, vt facit in citata quaest. vltima 1. metaph. idipsum etiam refert. Vegl. adnotauit August. Suessanus.

Contradictio XI.

C.F. S.D.hac eadem quaestione, vt dictum est, asserit

speciem specialissimam primo cognosci; Oppositum docet prima quæst. prologi, vbi habet terminos communissimos esse nobis primo notos, ergo manifesta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Aliud esse loqui de cognitione confusa, aliud vero de cognitione distincta, prout docet Scot. 1. dist. 3. quest. 2. hic loquitur de cognitione confusa: prima vero questione prologi, loquitur de cognitione distincta, ideo non adest contradictio.

Resp. secundo. Adhuc distinguendo de duplici cognitione, vna dicitur actualis; habitualis altera; hic de actuali, ibi de habituali cognitione loquitur D. S. & ideo saluatur à contradictione.

Contradictio XII.

C. F. D. S. q. 21. de Anima, habet ens esse genus, oppositum habet in 1. dist. 3. q. 3. littera N, & 4. met. q. 1. vbi manifestè remouet ab ente rationem generis; ergo apertè sibi contradicit.

Conciliatio.


P. Resp. Nullam esse contradictionẽ, nam Doct. in hac quæst. loquitur in opinione Auicennæ, idq. attende ex textu ipsius Doct. quem adduco. Vel potest dici (ait) sustinendo, quod sit genus, vel quasi genus, secundum Auicennam, quod descendit in inferiora per addita, quæ sunt entia idem, & realiter, non tamen formaliter. Hæc Doct. vbi pondera verbum, potest dici secundum Auic. non tamen ex propria mente, prout in locis adductis ad oppositum, ideo non est contradictio.

CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ D.S.SCOTI

Ex Metaph. ipsius deprompt
æ.

Ex Libro Primo.



Contradictio Prima.

C.F. 
Oct. Subtil.qæſt.1. ponit ens eſse adequatum ſubiectum metaphyſicæ: Verum hoc repugnare videtur doctrinæ traditæ ab ipſomet quæſt.3. Vniuerſalium, vbi ponit pro ſecunda conditione ſubiecti, vt per eius, quod quid eſt neceſsario demonſtrentur paſſiones eius de ipſo. At ens non habet paſſiones, nec quod quid eſt, ergo dum D.S. ponit ipſum pro ſubiecto contradicit euidenter ſuæ doctrinæ.

Conciliatio.

P. Dupliciter ſatisfacio adductæ abs te contradictioni; & primo, debes in memoriam reuocare ea, quæ diximus diſp.2. 1. phyſic. videlicet, diſcrimen eſſe inter ſubiectum attributionis, & ſubiectum prædicationis: Doct. Subtil. aſsignando talem conditionem, ait

ait esse subiecti attributionis, non prædicationis, quale est ens, prout animaduertit acutissimus Mauritius.

Resp. secundo. Estò conditio sit generaliter vera, attamen suam habet limitationem, videlicet, quod eo modo quo habet suum quod quid est, eo modo potest poni medium demonstrationis, si scilicet habet definitionem, definitio, si conceptum quidditatiuum, conceptus quidditatiuus, modo esto ens non habeat definitionem, habet tamen suum conceptum quidditatiuum, per quod de ipso passiones eius demonstrari possunt: & cum addis ens, non habere passiones, hoc falsum esse demonstrauimus in Metaphysica disput. 5. vbi plura de passionibus entis contra Augustin. Nyphum Suessanum disseruimus: Quare Doct. Subtilis est immunis à contradictione.

Contradictio II.

C.F. S.D. hac ipsa 1. quæst. 1. metaph. negat Deum esse ponendum pro subiecto metaph. ex eo, quia non habet conditiones requisitas ad subiectum: At quæst. 3. prologi, quasi immemor huius doctrinæ oppositum adstruit dum Deum sub Deitatis ratione statuit pro subiecto sacræ Theologiæ, quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. dupliciter, & primo, nego esse contradictionem, & ita esse, attende scientias posse dupliciter considerari: vno modo pro scientijs naturaliter, naturæ scilicet viribus acquisitis: alio modo pro scientia re-

uelata: quando ergo Doctor negat posse Deum &c. accipit scientiam priori modo: quando vero asserit &c. accipit scientiam posteriori modo, hinc tollitur ab ipso contradictio.

Resp. secundo, duplicem esse scientiam, vnam genericam, specificam alteram, dum Doctor negat &c. loquitur de subiecto scientiæ genericæ: dum vero asserit, loquitur de subiecto scientiæ specificæ, speciei s. specialissimæ, qualis est sacra Theologia, & ideo non potest notari contradictio in dictis Doctoris.

C.F. Dilectissime Magister: hæc responsio non videtur ad mentem Doct. Subtil. 6. met. q. 1. vbi asserit metaphysicam esse vnam scientiam specie specialissima, prout obseruauit Iacobinus Bargius noster in primũ sent. dist. 3. quæst. 6. ibi secundum tertiam viam arguitur, ergo secunda hæc responsio non est valida.

P. Resp. pace Bargij, D. S. non dicit metaphysicam esse vnam scientiam specie specialissima, sed eam esse vnam vnitate generis proximi, prout ex sequentibus verbis ipsius D.S. intelligere est; attende ergo verba quæ in medium profero. Vlterius secundum membrum subdiuiditur in scientiam de substantia incorporea, quæ non est nobis possibilis pro nunc, & in scientia de substantia corporea inquantum sic, & sic consideratur: non ergo quodlibet membrum prædictæ diuisionis est æque vnum, sed metaphysica in qua primo stat diuisio est vna vnitate generis proximi, non habens sub se nisi species specialissimas, vnde est vna secundo modo. Hæc D.S. vnde euidenter colligitur ipsum non dicere metaphysicam esse vnam specie specialissima, vt dicebat Bargius.

C.F. Abstulisti mihi errorem, vt ita dicam, maximum, attamen adhuc mihi restat difficultas non contem-

nenda, nam metaphysica est de ente, quod est communius substantia, ergo potius vocanda est vna vnitate generis remoti, cum vnitas habitus desumatur ab obiecto, ergo à minori vno minor vno, minor vnitas erit desumenda, veluti à maiori vno maior vnitas.

P. Resp. Difficultatem hanc fuisse notam ipsimet Doct. ideo paulo post subdit hæc verba: Contra, vnitas habitus est ab obiecto, ergo à magis vno maior vnitas: minus commune est magis vnum. Respondeo (ait) Et si communius sit minus vnum in re, & magis diuersificatum quam minus commune, est tamen æquæ vnum intelligibile, quia ita vnico, & simplici actu intelligendi intelligitur animal, sicut homo, & ita proprius habitus vtriusque est æquæ vnus in se, sed habitus diuersi in isto vno contenti virtualiter non habebunt æqualem vnitatem, nisi in isto vno æqualiter includantur, nam habent vnitatem ex hoc quod includuntur, non autem æqualiter includit corpus physicum omnes conclusiones scientiæ naturalis, & ens omnes conclusiones metaphysicæ, quia ens includit istas secundo modo, Corpus physicum istas non nisi tertio modo. Hæc Scotus. Ex quibus verbis manifestè apparet quomodo tuæ obiectioni possit satisfieri, videlicet, quomodo posit ens magis commune æquæ intelligi, sicut minus commune ratione, scilicet, simplicis intelligentiæ &c.

Contradictio III.

C.F. Scotus eadem quæst. 1. 1. metaph. videtur asserere ens prædicari in quid de suis passionibus, & consequenter possit dici de modis intrinsecis, & de vltimis

dif-

differentijs ſumptis, vt quid. Verum in 1. ſent.diſt.3. quæſt.3. id manifeſtè negat, docet enim ens non prædicari in quid de paſſionibus, modis intrinſecis, vltimiſque differentijs, vt quid, ergo euidens contradictio in ſuis dictis.

Conciliatio.

P. Reſp.Doctorem ſibi non contradicere, nam vt diximus in contradictionibus Logicis contradictione videlicet 7. D.S. in Logicis ſæpe incedit ſecundum communem opinionem, idipſum obſeruauit inſignis Scotiſta Mauritius in metaphyſica frequenter efficit; vt plurimum, inquam loquitur ſecundum opinionem aliorum, prout facit in præſenti loco, in quo loquitur ad mentem Auicennæ, prout etiam quæſt. 1. 4. met. patet. In primo vero ſententiarum loquitur ſecundum propriam mentem, ideo non adeſt contradictio in dictis ipſius.

Contradictio IV.

C.F. D.S. eadem quæſt.1. aſſignando quartum modum dicendi, habet Deum habere metaphyſicam, ſub *illis* verbis. Talem metaphyſicam habet Deus. At q.3. prologi, id manifeſtè negat, habet enim Deum nullam ſcientiam habere, præter Theologiam, quare euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Reſp. Nullam adeſſe contradictionem, & ita eſſe at-

tende, Doct. Subtilem non dicere absolutè, sed dicere (talem) quæ scilicet non est alia, nisi Theologia, hocq.constat consideranti verba ipsius Doct.ait enim. Talem metaphysicam habet Deus, licet non sit ibi scientia eo modo, quo loquitur Philosophus 1. Post. quia non est per discursum: vbi obserua diuinum intellectũ non posse habere notitiam, quæ nõ sit virtute diuinæ essentiæ,& ob id eius cognitio dicitur Theologia, & nullo modo Metaphysica, vel alia scientia nisi terminatiuè, quatenus, scilicet actum Diuini intellectus terminat. Hæc Doct. Vnde constat quomodo ab eo tollatur contradictio.

Contradictio V.

C.F. S.D.1. metaph. quæst.3. soluendo tertium, ait, substantiam cognosci per intellectum, quam nullus sensus cognoscit: oppositum habet eademmet quæst. ergo contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp. negando adesse contradictionem, nam dum D.S. asserit substantiam &c. id facit in opinione Henrici, non in propria, ait enim sicut ponitur de cognitione substantiæ per intellectum, quam nullus sensus cognoscit, licet secundum quosdam, substantia multiplicet speciem suam, cum specie accidentis: en quomodo non loquitur ex propria intentione ex illo verbo (ponitur) vt monuimus in contradictionibus Logicis, in quibus monuimus testimonio Eminentiss. Sarnani, ac aliorum, quod quotiescunq. Doct. Subtil. dicit, Dicitur, Ponitur, respondetur, id efficit de mente

te aliorum: quare cum dicat, ficut ponitur &c. & per confequens bona &c.

Contradictio VI.

C.F. Scot. quæft. 4. 1. met. docet cuicunque appetitiuæ correfpondere fibi fuam cognitiuam,& è cõtra; quam doctrinam confirmat in 1.dift.1.quæft.5.& in 2. dift.3. quæft.10.& dift.6.quæft.2.& in 3.diftinctionibus 15.17. & 33. At in 1.fent.dift.3.quæft.3.id negat, dicit enim tertio, appetitiua fingularis, vt fingularis, non habet cognitiuam propriam fibi, ergo fibi contradicit.

Conciliatio.

P. Refp. negando Doctorem fibi contradicere, nam locus adductus 3. dift. 1. pro contradictione non eft locus Scoti,prout egregius Scotifta Bargius eadem dift.3. & quæft.3. §. tertia pars quæftionis adnotauit, & addit tertiam partem quæftionis,non effe de littera Doctoris, litteræque Doctoris nullatenus accommodabilis, vt intuenti patet litteram fequentem, idque ego animaduerti cum codicibus Scoti,quibus vtebatur celeberrimus ille Scotifta Hieronymus Gadius dicti Bargij Magifter, quo codices funt nunc apud te, feu tuo vfui conceffi à P. Reuerendifsimo Generali, Leoniffæ afportati à P.Baccalaureo Hieronymo Palla condifcipulo dilectiffimo, quique eos mihi commodauit, quæfiui inquam, & non reperij. Vltra quæfiui additiones, quas affert P. Magifter Philippus à Bagnacaballo ad calcem primi in dictis codicibus, nec reperij quare iudico, faluo femper meliori iudicio,

non esse approbandum prædictum locum iuxta opinionem Bargij, nec Doctorem sibi contradicere.

Contradictio VII.

C.F. D.S. eadem quæst.4. 1. metaph. vult intellectum habere sensum pro causa: oppositum habet in primo dist.3.quæst.4.vbi vult, intellectum non habere sensum pro causa, sed pro occasione, quia intellectus non potest habere notitiã simplicium, ergo sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. Bifariam sumi notitiam. Primo, pro notitia principiorum per se notorum, conclusionumque deductarum ex illis Principijs, & hoc modo intellectus non habet sensum pro causa, sed solummodo pro occasione, postquam enim intellectus à sensibus accepit simplicia, sua virtute illa componere potest, illique complexioni assentiet, non sensus, sed intellectus virtute. Alio modo accipitur notitia pro aliorum principiorum notitijs, conclusionumque ex illis deductarum, vt est notitia de contingentibus, & de expertis, sicque intellectus sensum pro causa habet; quare constat quomodo sibi non contradicat.

C.F. Arist.4.metaph.dicit negantes primum principium ad inconueniens sensatum ducuntur, ergo intellectus quantum ad notitiam principiorum habet sensum pro causa, & per consequens stat contradictio.

P. Resp. experimentum esse necessarium principijs ad notitiam terminorum mediatè, non immediatè, quare non stat contradictio.

Resp.

Reſp.ſecundo, concurrere, vt coadiuuans, idque ſufficiebat Ariſtoteli,vt induceret antiquos ad inconueniens ſenſatum.

C.F. Adducta reſponſio contradicit ipſi Philoſopho 2. Phyſ. cap.vlt. vbi dicit non poſſe quempiam aſſentire principio, niſi eidem conſentiat experimento.

P. Reſp. vt ſupra Phyloſophum intelligi mediatè &c. Verum attende, vt apertè videas quomodo intellectus noſter fiat naturalis pro ſtatu iſto; talis enim ordo ſeruatur. Primo enim recipitur ſpecies ſenſibilis in organo exteriori, & producitur huiuſmodi à ſenſu,& ſpecie actus ſentiendi. Secundo, producitur ſpecies in ſenſu interiori. Tertio, ſenſus interior virtute huius ſpeciei producit actum interiorem ſentiendi in ſeipſo. Quarto, intellectus agens cum Phantaſmate producit ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili. Quinto, intellectus poſſibilis cum ſpecie intelligibili producit actum intelligendi in ſeipſo. Denique intellectus cognito illo obiecto abſque recurſu ad ſenſum, ſiue exteriorem, ſiue interiorem, plures notitias, tam complexas, quàm incomplexas producit.

Contradictio VIII.

C.F. S.D. 1. metaph. quæſt. 6. apertè fatetur dari cauſam ſine qua non, ſimiliter in 1. diſt. 41. & 2. diſt. 25. quibus in locis vult intelligere ſecundum vnam opinionem reſpectu ipſius velle eſſe cauſam ſine qua non, quinimò in via Scoti, prout docet Baſſolius quæſt. 1. Prol. notitia induitiua fit ab obiecto concomitante potentiam,vt cauſa ſine qua non. Verum in 1. diſt. 3. quæſt. 7. §. fugere, tunc autem ad cauſam ſine qua non,

non, apertè eam negat, quare euidens contradictio in sua doctrina.

Conciliatio.

P. Resp. Variè responderi huic contradictioni, nam Bargius ait, rationem Scoti esse tãtum topicam, eamque ait soluere in littera, quæ assignatur pro extra. Quando negatur &c. ait arguit ad hominem. Quando vero concedit, loquitur secundum propriam opinionem, & sic non contradicit sibi.

Verum alij probabilius secundum litteram D.S. dicunt eum in primo non negare causam sine qua non, sed tantum negare esse genus distinctum à quatuor generibus causarum, prout ex verbis ipsius colligitur, quæ in medium affero. Hoc etiam arguitur ratione sic, quia tantum quatuor sunt genera causarum per se, sicut apparet 2.phys. & 5. meth. ergo illis existentibus in se perfectis, & non impeditis, & sufficienter approximatis sequitur effectus ex illis: & paulo post subdit. Fugere tunc ad causam sine qua non (quæ requiritur ad hoc, vt notitia gignatur) hoc est dicere, quod omnes per se causæ non sunt sufficientes causæ, sed requiritur aliquid aliud à quo res causanda dependet essentialiter, ergo non erunt tantum quatuor causæ, siue quatuor genera causarum, sed plura, vel aliquid dependebit essentialiter ab aliquo, quod non est causa eius. Hæc Doct. Subtil. ex quibus colligitur eum non absolutè negare causam &c. sed solum, vt distinctam à quatuor generibus causarum, prout ex præhabitis patet, quandovero concedit, intelligendus est, vt est idem cum prædictis quatuor generibus causarum, & sic non contradicit sibi &c.

Con-

Contradictio IX.

C.F. Scotus eodem 1. metaph. eademque 6. quæst. manifestè negat formam esse principium agendi in quãtum hæc: At 1. sent. dist. 7. manifestè profitetur oppositum, habet enim formam, in quantum hæc, esse principium agendi, ergo manifesta contradictio.

Conciliatio.

P. Pro solutione adductæ contradictionis debes obseruare hãc propositionem, forma est principium &c. dupliciter posse intelligi. Vno modo, vt ly, in quantum, notat rationem formalem, siue principium elicitiuum; alio modo, vt notat conditionem aliquam necessario requisitam, quo adnotato respondeo. D.S. in hac quæst. 6. negat priori modo, vt scilicet ly, in quantum, denotat principium elicitiuum: At 1. sent. loco abs te adducto affirmat, intelligendus est secundo modo: prout clarum fiet, si inspicies litteram Doct. in hoc loco, vbi docet naturam esse rationem agendi, & singularitatem esse conditionem agentis, & rationem sine qua non: quare non adest contradictio.

Contradictio X.

C.F. D.S. 1. metaph. quæst. 9. negat metaphysicam considerare in particulari quidditates aliarum scientiarum, prout à proprijs scientificis, v.g. Physico, & Mathematico considerantur, sed solum considerat in vniuersali, seu sub ratione communi; idipsum habet quæst.

quæst. 1. prologi. Oppositum habet in 1. sent. dist. 2. quæst. 2. vbi docet metaphysicam cōsiderare ad quod genus linea pertineat, & quomodo à corpore, ac superficie sit distincta: addit euidentius in 3. dist. eiusdem 1. quæst. 2. §. loquendo igitur, in 2. probat. secundæ assertionis habet hæc verba. Secundo probo idem, quia metaphysica secundum Auicennam, vbi prius est prima secundum ordinem sciendi distinctè, quia ipsa habet certificare principia aliarum scientiarum, ergo eius cognoscibilia sunt prima distinctè cognoscibilia. Hæc Doct. Nec dici potest loqui secundum Auicennam, namque tuetur dictum ipsius, & addit. Nec contradicit sibi Auicenna, qui ponit eam in ordine doctrinæ vltimam, & primam in sciēdo distinctè, quia sicut patuit ex quæstione illa de propositione per se nota, Principia aliarum scientiarum sunt per se nota ex conceptu confuso terminorum, sed ex metaphysica scita, postea est possibilitas inquirendi quidditatem terminorum distinctè, & hoc modo termini sciētiarum specialium non concipiuntur, nec principia earum intelliguntur ante metaphysicam. Hæc Doct. ergo euidens contradictio, nam cum à Metaphysico debeant sciri principia aliarum sciētiarum distinctè, inquiret metaphysica de omni quidditate particulari, & sic contradictio. Præterea extat, & alter locus Scoti 2. sent. dist. 3. quæst. 1. §. Ad quæstionem igitur concedo, postquam explicauit quomodo natura est prior indiuiduatione dicit, secūdum istam prioritatem naturalem est quod quid est, & per se obiectum intellectus, & per se, vt sic consideratur à Metaphysico; ergo contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. adesse descrimen inter Scoti sectatores, nam nonnulli apud Petrum Postnay.in 1.quæst. prol.disp.5. fulciti locis adductis, secundo loco, dicunt, Doctorem in metaphysica sequi communem opinionem, vt pluries dictum est; & huius opinionis est Bargius q. 1. prol. fol. 6. col. 3. vbi citat Vigerium pro eadem opinione, ad quam etiam declinat Petrus Tataretus 1. metaph.quæst.vnica, & nonnulli alij moderni. Verum alia ex parte sunt celeberrimi Scotistæ, videlicet, Antonius Andreas fidelissimus discipulus, & auditor Doctoris Subtilis 1.metaph.quæst.9. Anton.Tromb. eodem 1. quæst. pariter 9. vbi pro eadem sententia citat Landulphum de Neapoli, & alios: Nicol. de Orb. 1.metaph. cap. 4. Petrus Postnayn. loco assignato, Zerb.1.metaph.quæst. 12. & ad hanc positionem videtur declinare doctissimus Mauritius quæst. 7. vniuersalium, quamuis in castigatione 9.quæst. 1.metaph. videatur vtrique adhærere. Respondeo ergo iuxta eorum doctrinam demonstrando D. S. sibi non contradicere per singula loca, & primo in primo loco quando Doct. dicit, Metaphysicum considerare ad quod genus &c. nil aliud dicere voluit, nisi quod nullus artifex particularis possit considerare lineam ad quod genus pertineat, nisi ille cuius est considerare ipsa prima genera rerum, qualis est Metaphysicus, ideoque non possit cognosci, nisi per Metaphysicos conceptus dirigantur, ex hoc autem non sequitur, quod Metaphysicus ob id ad particulares rationes directè descendat, sed solum sequitur ipsam Metaphysicam rationes primorum principiorum, ac generum con-

templare tanquam ea, quæ diuisiones entis limitati integrant, & complent; hinc Mauritius quæst. 7. vniuersalium ait, Metaphysicam per se, & primo considerare ens, eiusque passiones per se non primo, partes subiectiuas entis reductiue, & per accidens, non entia, negationes, priuationes, & secundas intentiones; Alter locus Scoti secundo loco adductus, non adducit euidentem contradictionem, nam locus ille non est intelligendus sub modo particulari, sed sub modo vniuersali, & idipsum probat tertius locus adductus, quare non extat contradictio in dictis Doctoris, Elige quam vis viam Scotistarum, vtraque pro se habet proceres Scotistas.

Contradictio XI.

C.F. S.D. 1. metaph. habet *singulare præintelligi* ante vniuersale, & eandem sententiam habet 7. metaph. quæst. 15. & hæc doctrina confirmatur à proceribus Scotistis, nempè Ant. And. 7. metaph. quæst. 13. Ioanne Canonico 1. Phys. quæst. 2. art. 1. Antonio Trombetta de cognitione singularis, & Parisiensibus 1. Phys. quæst. 2. art. 2. dubio 1. Oppositum euidenter profitetur in quæst. 16. animastica, & 1. sent. dist. 3. quæst. 2. vbi vult speciem specialissimam præintelligi ante singulare, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. primo cum Bargio, & Tromb. ex doctrina ipsius D.S. quæst. 16. animastica, duplex esse singulare, videlicet, vagum; & signatum; hic, & 7. metaph. (quicquid in contrarium dicat Zerbus) loquitur

tur de singulari vago, quod nos in metaph. disput. 8. conclus. 4. dubit. 1. conclus. 4. diximus prioritate originis, quæst. 16. de Anima, loquitur de signato singulari, directè cognosci ab intellectu nostro, sine conjunctio, & ideo non extat contradictio.

Resp. secundo, D.S. sibi non contradicere, hocque ita esse, attende ex duplici cognitione, videlicet, vt communis ad cognitionem intellectiuam, & sensitiuam, quæ à Scoto in hac quæstione vocatur cognitio in genere, alia particularis in specie, seu vnius potentiæ, quando D.S. dicit singulare præintelligi, loquitur de cognitione in genere, non in specie, & si in specie, loquitur de sensitiua, quod etiam dicit in 1. dist. 3. in probanda conclusione sua, dum ait, illud esse primo cognitum, cuius singulare fortius mouet sensum &c. & hæc doctrina desumpta est ab ipso D.S. hac citata quæst. D. affero verba ipsius. De primo vniuersali primo distinguendum est de cognitione, prout communis est ad cognitionem sensitiuam, & intellectiuam, quæ dicitur cognitio in genere, & tunc singulare simpliciter est notius nobis quam vniuersale, quia illud est notius nobis, quod est notius cognitione prima in nobis, hæc est sensitiua. Si autem non comparetur quantum ad cognitionem in genere, sed ad vnam, tunc quantum ad cognitionem sensitiuam singulare est magis notum nobis. Hæc D.S. & dilucidè ipsemet se saluat à contradictione, si verba benè ponderentur, loquitur inquam de sensitiua quæst. 16. de Anima, loquitur de cognitione intellectiua, & in specie, & ideo non adest contradictio.

Resp. tertio, hic D.S. loqui in opinione, prout videre est ex ipso loco adducto immediatè post apposita verba, addit hæc verba: Si autem alia opinio sit

vera, quod per se intelligitur, tunc esset quæstio, & potest dici &c.

Resp. quarto, Doct. intelligere quantum est de se in locis adductis, non autem pro statu isto, vt loquitur in quæst. 16. animastica, & 1. sent. & ideo saluatur à contradictione.


Resp. quinto, D.S. 3. dist. 1. loqui indeterminatè, non enim absolutè determinat quid sit primo cognitum, sed quid sit primo cognitum inter ea, quæ ab omnibus conceduntur, vt sunt vniuersalia, idque clarè ostendit illis verbis, loquor enim modo de illis, quæ certum est posse intelligi secundum omnem opinionem. Hæc Doctor, quare ponit primo cognitum speciem specialissimam, cuius singulare mouet efficacius sensum, & sic constat &c.




CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex ſecundo Metaph. depromptæ.



Contradictio Prima.

C.F.  Oct. Subtil. 2. Metaph. quæſt. 3. ſ. Ad quæſtionem dicendũ applicando gradus cognitionis ſenſitiuæ ad intellectiuam, dicit, primam, quæ eſt intuitiua, non eſſe poſſibilem in via in intellectu. Verum huius oppoſitum habet eadem quæſt. paulo poſt, videlicet eſſe poſſibilem, & hanc doctrinam confirmat in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 4. & 3. diſt. 1. & 4. diſt. 45. & 15. quæſt. quol. quibus in locis habet eſſe poſſibilem, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Tripliciter reſpondeo adductæ contradictioni, & primo diſtinguo de intellectu, ſcilicet, conſiderando ipſum dupliciter. Vno modo in ſe, & abſolutè, ſeu ex natura potentiæ: Aliò modo pro ſtatu iſto, hoc ergo adnotato dico, dum D. S. negat, loquitur de intellectu ſecundo modo, prout ex textu ipſius licet con-

conspicere, audi ipsum: Secundum alias quæstiones ait de primo gradu, scilicet, intuitiuæ cognitionis, an sit in intellectu in via dubium est, videtur tamen quod sic. Hæc D. S. vbi pondera verba, An sit in intellectu in via &c. dum vero aliter videtur dicere, loquitur de intellectu in se, quare sibi non contradicit.

Resp. secundo. Intellectum posse dupliciter considerari, vno modo, quo ad attingentiam, hoc est, quod ex se attingat, alio modo vero quoad inclinationem: Dum ergo D. S. negat, efficit quoad attingentiam: dum vero alibi concedit, loquitur quoad inclinationem, quare non sibi &c.

Resp. tertio, Doctorem subtilem in hac 3. quæst. loqui sub dubio, prout ex verbis allatis in prima responsione videre est &c. ideo tollitur contradictio.

Contradictio II.

C.F. S. D. 2. met. eadem quæst. 3. dicit, Beatitudinem in via, & in Patria esse alterius speciei, & tamen sunt de eodem obiecto; vultq. ibi Scot. obiectum approximatum diuersimodè variare speciem notitiæ, & in 3. dist. 31. habet ista verba formalia: Quando enim perfectio actus est à duobus, scilicet, à potentia, & obiecto, quando variatur propria ratio istorum, vel alterius eorum in se, vel coniunctione cum reliqua causa, vel secundum approximationem ad reliquam causam, quia minus perfectè agunt causæ partiales respectu effectus, quando non sunt sufficienter approximatæ, & coniunctæ, variabitur tunc perfectio huius actus. Hæc D. S. & hanc sententiam habet pluribus suæ doctrinæ locis, videlicet, in 2. dist. 1. quæst. 6. &

dist.

dist. 26. eiusdem 2. & in 3. dist. 14. quæst. 1. & 13 quæst. quodlibetali, vbi docet. Obiectum esse sufficiens distinctiuum; at non sufficiens identificatiuum: Verum huic doctrinæ videtur derogare 1. sent. dist. 3. quæst. 7. & dist. 21. quæst. 1. & contra istam opinionem, vbi vult notitiam confusam, & distinctam esse eiusdem rationis: modo cum Beatitudo in via sit quædam notitia confusa, & in Patria notitia distincta erunt ex eius doctrina eiusdem speciei, ergo contradictio in alibi dictis.

Conciliatio.

P. Resp. negando in dictis D. S. adesse contradictionem, idque ita esse attende. Aliquid esse eiusdem, vel diuersæ rationis posse ex duobus attendi. Primo, ex ratione obiectiua, veluti ait August. Angelos, & animam esse pares natura, videlicet, obiectiuè, veluti etiam visus aquilæ, & leonis &c. Alio modo ex ratione entitatiua simpliciter: qua habita distinctione, dico, dum D. S. in hac quæst. & alibi in idipsum conuenientia loca negat, intelligendus est hoc secundo modo, scilicet, ratione entitatis: Dum vero alibi ait, notitiam confusam &c. intelligendus est de ratione obiectiua, idest, sunt de eodem obiecto, & sic tollitur contradictio ab eo.

Contradictio III.

C. F. Scotus 2. metaphys. quæst. 3. habet cum Arist. eodem 2. met. t. 8. & Auer. com. 1. eiusdem secundi desiderium naturale non esse ad impossibile. Huius oppositum habet in 2. dist. 6. quæst. 1. vbi docet, malum

An-

Angelum appetijsse æqualitatem Dei, quod tamen erat impossibile, ergo euidens contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp. Ex his quæ habet D. S. loco à te adducto 2. sent. §. ad Argumentum pro opinione; electionem dupliciter capi, vno modo pro actu voluntatis consequente plenam apprehensionem intellectus, quomodo dicitur quis peccare ex electione, quando non est passio perturbans intellectum, nec ignorantia. Alio modo pro actu voluntatis consequente conclusionem syllogismi practici, quæ electio non est, nisi volitio efficax obiecti, quæ est ad inquirendum medium per quod obiectum possit attingi. Primo modo electio est impossibilium, vt ait Philosophus 3. Ethic. cap. 5. quod voluntas est impossibilium, non tantum voluntas errans, verum etiam voluntas præsupposita plena apprehensione intellectus. Secundo modo vero non est impossibilium, quia nullus de impossibilibus syllogizat practicè: Syllogismus enim practicus ex fine, concludit illud, quod est ad finem, & talis discursus nunquam est de impossibili. Hæc Scot. Vnde dilucidè se declarat, quomodo sit intelligendus vtrobique, secundo inquam Metaphysicæ, posteriori modo: secundo vero sententiarum priori modo, & ideo tollitur contradictio ab ipso Doctore.

Contradictio IV.

C.F. D. S. 2. Metaph. quæst. 6. tenet contra D. Thom. Infinitum percipi sub ratione infinitatis, asserebat enim

enim Angelicus Doctor percipi ſub ratione finiti. At 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. aſſerit oppoſitum, negat enim infinitum poſſe cognoſci, cum non poſsit percipi cognoſcente ipſum ſecundum modum ſuæ infinitatis, ergo euidenter ſibi contradicit.

Conciliatio.

P. Pro ſolutione adductæ contradictionis, debes reuocare in memoriam, ea quæ diximus 3. Phyſ. diſput. 2. vbi duplex infinitum demonſtrauimus, videlicet, in actu, & in potentia, dum ergo Scotus in Metaphyſica docet poſſe, percipi à noſtro intellectu, loquitur de infinito priori modo: Primo vero ſent. loquitur de infinito in potentia, quod quidem nequit intelligi, quare non contradicit ſibi.

C. F. Ariſt. definiendo infinitum 3. Phyſ. t. 63. definit infinitum in potentia, vt docet Scot. quæſt. 5. quol. prout citata diſp. aſſeruiſti, & per conſequens contradictio adhuc ſtat.

P. Reſp. diſtinguendo pro formali, ſcilicet ratione ſuæ infinitatis in ſe, concedo: pro ſubſtrato, ſeu pro eo, quod ſubeſt rationi infinitatis, nego. Infinitum enim pro formali, poteſt applicari infinito pro ſubſtrato, quod eſt infinitum in potentia ſecundum quid, & non ſimpliciter, cum non poſſit diuidi ſecundum omnes partes, idq. infinitum in via Doctoris Subtilis à nullo intellectu naturaliter intelligi poteſt. Non inquam à Diuino, nam ille intelligit omnes partes infinitas continuas ſimul, ſicque intelligitur ab eo tale infinitum actu, & non poteſtate, nec ab intellectu creato, quia ſemper intelligit partem poſt partem, & ſic nunquam ad vltimum deueniet.

quæst. 1. prologi. Oppositum habet in 1. sent. dist. 2. quæst. 2. vbi docet metaphysicam cōsiderare ad quod genus linea pertineat, & quomodo à corpore, ac superficie sit distincta: addit euidentius in 3. dist. eiusdem 1. quæst. 2. §. loquendo igitur, in 2. probat. secundæ assertionis habet hæc verba. Secundo probo idem, quia metaphysica secundum Auicennam, vbi prius est prima secundum ordinem sciendi distinctè, quia ipsa habet certificare principia aliarum scientiarum, ergo eius cognoscibilia sunt prima distinctè cognoscibilia. Hæc Doct. Nec dici potest loqui secundum Auicennam, namque tuetur dictum ipsius, & addit. Nec contradicit sibi Auicenna, qui ponit eam in ordine doctrinæ vltimam, & primam in sciēdo distinctè, quia sicut patuit ex quæstione illa de propositione per se nota, Principia aliarum scientiarum sunt per se nota ex conceptu confuso terminorum, sed ex metaphysica scita, postea est possibilitas inquirendi quidditatem terminorum distinctè, & hoc modo termini sciētiarum specialium non concipiuntur, nec principia earum intelliguntur ante metaphysicam. Hæc Doct. ergo euidens contradictio, nam cum à Metaphysico debeant sciri principia aliarum sciētiarum distinctè, inquiret metaphysica de omni quidditate particulari, & sic contradictio. Præterea extat, & alter locus Scoti 2. sent. dist. 3. quæst. 1. §. Ad quæstionem igitur concedo, postquam explicauit quomodo natura est prior indiuiduatione dicit, secūdum istam prioritatem naturalem est quod quid est, & per se obiectum intellectus, & per se, vt sic consideratur à Metaphysico; ergo contradictio.

Con-

Conciliatio.

P. Resp. adesse descrimen inter Scoti sectatores, nam nonnulli apud Petrum Postnay. in 1. quæst. prol. disp. 5. fulciti locis adductis, secundo loco, dicunt, Doctorem in metaphysica sequi communem opinionem, vt pluries dictum est; & huius opinionis est Bargius q. 1. prol. fol. 6. col. 3. vbi citat Vigerium pro eadem opinione, ad quam etiam declinat Petrus Tataretus 1. metaph. quæst. vnica, & nonnulli alij moderni. Verum alia ex parte sunt celeberrimi Scotistæ, videlicet, Antonius Andreas fidelissimus discipulus, & auditor Doctoris Subtilis 1. metaph. quæst. 9. Anton. Tromb. eodem 1. quæst. pariter 9. vbi pro eadem sententia citat Landulphum de Neapoli, & alios: Nicol. de Orb. 1. metaph. cap. 4. Petrus Postnayn. loco assignato, Zerb. 1. metaph. quæst. 12. & ad hanc positionem videtur declinare doctissimus Mauritius quæst. 7. vniuersalium, quamuis in castigatione 9. quæst. 1. metaph. videatur vtrique adhærere. Respondeo ergo iuxta eorum doctrinam demonstrando D. S. sibi non contradicere per singula loca, & primo in primo loco quando Doct. dicit, Metaphysicum considerare ad quod genus &c. nil aliud dicere voluit, nisi quod nullus artifex particularis possit considerare lineam ad quod genus pertineat, nisi ille cuius est considerare ipsa prima genera rerum, qualis est Metaphysicus, ideoque non possit cognosci, nisi per Metaphysicos conceptus dirigantur, ex hoc autem non sequitur, quod Metaphysicus ob id ad particulares rationes directè descendat, sed solum sequitur ipsam Metaphysicam rationes primorum principiorum, ac generum con-

templare tanquam ea, quæ diuisiones entis limitati integrant, & complent, hinc Mauritius quæst. 7. vniuersalium ait, Metaphysicam per se, & primo considerare ens, eiusque passiones per se non primo, partes subiectiuas entis reductiue, & per accidens, non entia, negationes, priuationes, & secundas intentiones; Alter locus Scoti secundo loco adductus, non adducit euidentem contradictionem, nam locus ille non est intelligendus sub modo particulari, sed sub modo vniuersali, & idipsum probat tertius locus adductus, quare non extat contradictio in dictis Doctoris, Elige quam vis viam Scotistarum, vtraque pro se habet proceres Scotistas.

Contradictio XI.

C.F. S.D. 1. metaph. habet singulare præintelligi ante vniuersale, & eandem sententiam habet 7. metaph. quæst. 15. & hæc doctrina confirmatur à proceribus Scotistis, nempè Ant. And. 7. metaph. quæst. 13. Ioanne Canonico 1. Phys. quæst. 2. art. 1. Antonio Trombetta de cognitione singularis, & Parisiensibus 1. Phys. quæst. 2. art. 2. dubio 1. Oppositum euidenter profitetur in quæst. 16. animastica, & 1. sent. dist. 3. quæst. 1. vbi vult speciem specialissimam præintelligi ante singulare, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. 1. Resp. primo cum Bargio, & Tromb. ex doctrina ipsius D.S. quæst. 16. animastica, duplex esse singulare, videlicet, vagum, & signatum; hic, & 7. metaph. (quicquid in contrarium dicat Zerbus) loquitur

tur de singulari vago, quod nos in metaph. disput. 8. conclus. 4. dubit. 1. conclus. 4. diximus prioritate originis, quæst. 16. de Anima, loquitur de signato singulari, directè cognosci ab intellectu nostro, siue coniuncto, & ideo non extat contradictio.

Resp. secundo, D.S. sibi non contradicere, hocque ita esse, attende ex duplici cognitione, videlicet, vt communis ad cognitionem intellectiuam, & sensitiuam, quæ à Scoto in hac quæstione vocatur cognitio in genere, alia particularis in specie, seu vnius potentiæ, quando D.S. dicit singulare præintelligi, loquitur de cognitione in genere, non in specie, & si in specie, loquitur de sensitiua, quod etiam dicit in 1. dist. 3. in probanda conclusione sua, dum ait, illud esse primo cognitum, cuius singulare fortius mouet sensum &c. & hæc doctrina desumpta est ab ipso D.S. hac citata quæst. D. affero verba ipsius. De primo vniuersali primo distinguendum est de cognitione, prout communis est ad cognitionem sensitiuam, & intellectiuam, quæ dicitur cognitio in genere, & tunc singulare simpliciter est notius nobis quam vniuersale, quia illud est notius nobis, quod est notius cognitione prima in nobis, hæc est sensitiua. Si autem non comparetur quantum ad cognitionem in genere, sed ad vnam, tunc quantum ad cognitionem sensitiuam singulare est magis notum nobis. Hæc D. S. & dilucidè ipsemet se saluat à contradictione, si verba benè ponderentur, loquitur inquam de sensitiua quæst. 16. de Anima, loquitur de cognitione intellectiua, & in specie, & ideo non adest contradictio.

Resp. tertio, hic D.S. loqui in opinione, prout videre est ex ipso loco adducto immediatè post apposita verba, addit hæc verba: Si autem alia opinio sit

vera, quod per se intelligitur, tunc esset quæstio, & potest dici &c.

Resp. quarto, Doct. intelligere quantum est de se in locis adductis, non autem pro statu isto, vt loquitur in quæst. 16. animastica, & 1. sent. & ideo saluatur à contradictione.


Resp. quinto, D.S. 3. dist. 1. loqui indeterminatè, non enim absolutè determinat quid sit primo cognitum, sed quid sit primo cognitum inter ea, quæ ab omnibus conceduntur, vt sunt vniuersalia, idque clarè ostendit illis verbis, loquor enim modo de illis, quæ certum est posse intelligi secundum omnem opinionem. Hæc Doctor, quare ponit primo cognitum speciem specialissimam, cuius singulare mouet efficacius sensum, & sic constat &c.




CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex ſecundo Metaph. depromptæ.



Contradictio Prima.

C.F.  Oct. Subtil. 2. Metaph. quæſt. 3. §. Ad quæſtionem dicendū applicando gradus cognitionis ſenſitiuæ ad intellectiuam, dicit, primam, quæ eſt intuitiua, non eſſe poſſibilem in via in intellectu. Verum huius oppoſitum habet eadem quæſt. paulo poſt, videlicet eſſe poſſibilem, & hanc doctrinam confirmat in 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 4. & 3. diſt. 1. & 4. diſt. 45. & 15. quæſt. quol. quibus in locis habet eſſe poſsibilem, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Tripliciter reſpondeo adductæ contradictioni, & primo diſtinguo de intellectu, ſcilicet, conſiderando ipſum dupliciter. Vno modo in ſe, & abſolutè, ſeu ex natura potentiæ: Aliò modo pro ſtatu iſto, hoc ergo adnotato dico, dum D. S. negat, loquitur de intellectu ſecundo modo, prout ex textu ipſius licet

con-

conſpicere, audi ipſum: Secundum alias quæſtiones ait de primo gradu, ſcilicet, intuitiuæ cognitionis, an ſit in intellectu in via dubium eſt, videtur tamen quod ſic. Hæc D.S. vbi pondera verba, An ſit in intellectu in via &c. dum vero aliter videtur dicere, loquitur de intellectu in ſe, quare ſibi non contradicit.

Reſp. ſecundo. Intellectum poſſe dupliciter considerari, vno modo, quo ad attingentiam, hoc eſt, quod ex ſe attingat, alio modo vero quoad inclinationem: Dum ergo D.S. negat, efficit quoad attingentiam: dum vero alibi concedit, loquitur quoad inclinationem, quare non ſibi &c.

Reſp. tertio, Doctorem ſubtilem in hac 3. quæſt. loqui ſub dubio, prout ex verbis allatis in prima reſponſione videre eſt &c. ideo tollitur contradictio.

Contradictio II.

C.F. S.D. 2. met. eadem quæſt. 3. dicit, Beatitudinem in via, & in Patria eſſe alterius ſpeciei, & tamen ſunt de eodem obiecto; vultq. ibi Scot. obiectum approximatum diuersimodè variare ſpeciem notitiæ, & in 3. diſt. 31. habet iſta verba formalia: Quando enim perfectio actus eſt à duobus, ſcilicet, à potentia, & obiecto, quando variatur propria ratio iſtorum, vel alterius eorum in ſe, vel coniunctione cum reliqua cauſa, vel ſecundum approximationem ad reliquam cauſam, quia minus perfectè agunt cauſæ partiales reſpectu effectus, quando non ſunt ſufficienter approximatæ, & coniunctæ, variabitur tunc perfectio huius actus. Hæc D.S. & hanc ſententiam habet pluribus ſuæ doctrinæ locis, videlicet, in 2. diſt. 1. quæſt. 6. & diſt.

dist. 26. eiusdem 2. & in 3. dist. 14. quæst. 1. & 13 quæst. quodlibetali, vbi docet. Obiectum esse sufficiens distinctiuum; at non sufficiens identificatiuum: Verum huic doctrinæ videtur derogare 1. sent. dist. 3. quæst. 7. & dist. 21. quæst. 1. & contra istam opinionem, vbi vult notitiam confusam, & distinctam esse eiusdem rationis: modo cum Beatitudo in via sit quædam notitia confusa, & in Patria notitia distincta erunt ex eius doctrina eiusdem speciei, ergo contradictio in alibi dictis.

Conciliatio.

P. Resp. negando in dictis D. S. adesse contradictionem, idque ita esse attende. Aliquid esse eiusdem, vel diuersæ rationis posse ex duobus attendi. Primo, ex ratione obiectiua, veluti ait August. Angelos, & animam esse pares natura, videlicet, obiectiuè, veluti etiam visus aquilæ, & leonis &c. Alio modo ex ratione entitatiua simpliciter: qua habita distinctione, dico, dum D. S. in hac quæst. & alibi in idipsum conuenientia loca negat, intelligendus est hoc secundo modo, scilicet, ratione entitatis: Dum vero alibi ait, notitiam confusam &c. intelligendus est de ratione obiectiua, idest, sunt de eodem obiecto, & sic tollitur contradictio ab eo.

Contradictio III.

C.F. Scotus 2. metaphys. quæst. 3. habet cum Arist. eodem 2. met. t. 8. & Auer. com. 1. eiusdem secundi desiderium naturale non esse ad impossibile. Huius oppositum habet in 2. dist. 6. quæst. 1. vbi docet, malum

An-

Angelum appetijsse æqualitatem Dei, quod tamen erat impossibile, ergo euidens contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp. Ex his quæ habet D. S. loco à te adducto 2. sent. 5. ad Argumentum pro opinione; electionem dupliciter capi, vno modo pro actu voluntatis consequente plenam apprehensionem intellectus, quomodo dicitur quis peccare ex electione, quando non est passio perturbans intellectum, nec ignorantia. Alio modo pro actu voluntatis consequente conclusionem syllogismi practici, quæ electio non est, nisi volitio efficax obiecti, quæ est ad inquirendum medium per quod obiectum possit attingi. Primo modo electio est impossibilium, vt ait Philosophus 3. Ethic. cap. 5. quod voluntas est impossibilium, non tantum voluntas errans, verum etiam voluntas præsupposita plena apprehensione intellectus. Secundo modo vero non est impossibilium, quia nullus de impossibilibus syllogizat practicè: Syllogismus enim practicus ex fine, concludit illud, quod est ad finem, & talis discursus nunquam est de impossibili. Hæc Scot. Vnde dilucidè se declarat, quomodo sit intelligendus vtrobique, secundo inquam Metaphysicæ, posteriori modo: secundo vero sententiarum priori modo, & ideo tollitur contradictio ab ipso Doctore.

Contradictio IV.

C. F. D. S. 2. Metaph. quæst. 6. tenet contra D. Thom. Infinitum percipi sub ratione infinitatis, asserebat enim

enim Angelicus Doctor percipi sub ratione finiti. At 1. sent. dist. 3. quæst. 1. asserit oppositum, negat enim infinitum posse cognosci, cum non possit percipi cognoscente ipsum secundum modum suæ infinitatis, ergo euidenter sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Pro solutione adductæ contradictionis, debes reuocare in memoriam, ea quæ diximus 3. Phys. disput. 2. vbi duplex infinitum demonstrauimus, videlicet, in actu, & in potentia, dum ergo Scotus in Metaphysica docet posse, percipi à nostro intellectu, loquitur de infinito priori modo: Primo vero sent. loquitur de infinito in potentia, quod quidem nequit intelligi, quare non contradicit sibi.

C. F. Arist. definiendo infinitum 3. Phys. t. 61. definit infinitum in potentia, vt docet Scot. quæst. 5. quol. prout citata disp. asseruisti, & per consequens contradictio adhuc stat.

P. Resp. distinguendo pro formali, scilicet ratione suæ infinitatis in se, concedo: pro substrato, seu pro eo, quod subest rationi infinitatis, nego. Infinitum enim pro formali, potest applicari infinito pro substrato, quod est infinitum in potentia secundum quid, & non simpliciter, cum non possit diuidi secundum omnes partes, idq. infinitum in via Doctoris Subtilis à nullo intellectu naturaliter intelligi potest. Non inquam à Diuino, nam ille intelligit omnes partes infinitas continuas simul, sicque intelligitur ab eo tale infinitum actu, & non potestate, nec ab intellectu creato, quia semper intelligit partem post partem, & sic nunquam ad vltimum deueniet.

Contradictio V.

C.F. S.D. 2. Metaph. eadem quæst. in fine, exponens illud Philosophi 3. Physic. tex. 69. scilicet, quantumcunque contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu, expresse tenet nulla potentia, etiam diuina intercedente, posse fieri magnitudinem aliquam actu infinitam. At 1. sent. dist. 8. quæst. 3. docet, quod linea infinita sit in genere quantitatis, ergo potest dari infinitum magnitudine, & consequenter contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Resp. Subtilem Doctorem sibi non contradicere, etenim 1. sent. non loquitur absolutè dari lineam infinitã, sed ex hypotesi, scilicet, si daretur, prout ex ipso Doctore, §. Alij probant quarto ibi, sed alia est difficultas &c. videre est &c. secundo vero Metaph. absolutè loquitur, quare sibi non contradicit.



CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex quarto Metaphys. desumptæ.

Contradictio Prima.

C.F. DOct. Subtil. 4. Metaph. quæst. 1. resolutè negat, ens dicere cōceptum vniuocum, *seu vniuocè dici* de omnibus entibus: habet enim hæc verba: Ad quæstionem concedo, quod ens non dicitur vniuocè de omnibus entibus: At 1. sentent. dist. 3. quæst. 3. necnon dist. 8. oppositum profitetur, videlicet, ens dicere vnum conceptum vniuocum, &c. quare manifestè sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. dupliciter, & primò dico, D.S. sibi non contradicere eo, quoniam hic loquitur logicè, prout ex verbis ipsius Doct. videre est. Quia ergo (ait Doct.) non habere conceptum vnum, ideo significat omnia essentialiter secundum propriam rationem, & simpliciter æquiuocè, secundũ Logicum. Hæc Doct. vbi conspice quomodo intelligat suum dictum lo-

gicè &c. & ob id non adest contradictio in suis dictis.

Resp. secundo, D. S. in hac quæst. esse problematicum, nam secundum opinionem Auicennæ sustinet vniuocationem, & secundum Commentatorem Analogiam, in sententijs vero loquitur secundum propriam mentem, & ideo sibi non contradicit.

Contradictio II.

C.F. S. D. eadem 1. quæst. Met. tuetur ens esse purum Analogum. Oppositum profitetur 1. sent. dist. 3. vbi negat dari purum Analogum medium inter vniuocum, & æquiuocum, ergo contradicit sibi.

Conciliatio.

P. Resp. Conciliationem huius contradictionis haberi ex 2. conciliatione ad superiorem contradictionem, etenim dum ait, ens esse Analogum, loquitur in opinione Auerrois, & ideo tollitur contradictio.

Contradictio III.

C.F. Scot. 4. Met. quæst. 2. determinat, ens, & vnum esse penitus idem, hocque de mente Philosophi eodem 4. tex. com. 3. asserentis ens, & vnum dicere eandem naturam, nam idem est homo, & vnus homo. Verum 1. sent. dist. 19. quæst. 1. & 6. quæst. quol. oppositum videtur docere, asserit enim ibi vnum addere supra ens aliquid positiuum, & non puram negationem, ergo non dicunt eandem naturam, & consequenter contradictio in suis dictis.

Con-

Conciliatio.

P. Resp. Quatuor adesse opiniones circa conciliationem adductæ contradictionis, quas in medium affero. Prior est Platonis in sophista, vel de ente, & in libro Parmenidis, quibus in locis voluit vnum esse communius ente, quam positionem tueri nititur Picus Mirandulanus. Verumtamen Arist. eam recipit 3. metaphys.

Secunda opinio referente Auerr. 4. met. com. 3. & 10. met. com. 8. fuit Auicennæ, qui arbitrabatur vnum esse de prædicamento quantitatis, quia est principium numeri, & in via eius vnum addit supra ens entitatem positiuam accidentalem, distinctam ab ente, & nesciuit (ait Auerr.) Auicennas distinguere inter vnum, quando est principium numeri, & quando est passio entis.

Tertia opinio est ipsiusmet Auerr. cui assentiuntur D. Thom. & Franc. Mayr. 1. sent. dist. 24. quæst. 2. dicentes, vnum non addere supra ens aliquid positiuum, sed dicere puram negationem; est enim vnum, secundum eos, quod est indiuisum à se, & diuisum à quocumq. alio, quod non est ipsum, & sic omnia sunt vnum, imò multa sunt vnum, quia indiuisa à se, & diuisa à quocumque, quod non est ipsa.

Quarta positio est Doct. Subtil. asserentis, vnum addere aliquid positiuum supra ens, quod est idem realiter cum ente, & distinctum formaliter ab eo, & de connotato dicit illam negationem videlicet indiuisionem à se, & diuisionem à quocumque, quod non est ipsum, veluti risibilitas est eadem realiter homini, & distincta formaliter, hoc ergo stante dico cum

Sco-

Scotus dicit, vnum addere &c. intelligendus est formaliter, hoc est, addit aliquam formalitatem: cum vero dicit, dicere eandem naturam, intelligendus est de reali identitate, & ideo tollitur ab eo contradictio.

Resp. secundo, ex Scot. 4. met. ad tex. 3. dicere eandem naturam, contingere dupliciter. Vno modo, quia habet eandem entitatem realem, & distinctionem rationum realium ex natura rei. Alio modo, quia sunt idem secundum rem, & secundum rationem realem. Exemplum primi. Causa, & principium, eadem enim res est causa, & principium, sed secundum aliam, & aliam rationem, nam principium dicit rationem primitatis; idem enim (ait Scot.) dico primum, & principium ex primo Post. At causa dicitur ratione dandi esse, quia causa est ad cuius esse sequitur aliud, & istæ rationes non sunt eædem ex natura rei, & vna, vt patet, est prior alia. Exemplum secundi. Vt tunica, & vestis, & quæcunque sunt synonima, Primo modo ens, & vnum sunt idem, non secundo modo. Hæc Scot. quare ex ipsomet constat quomodo loquatur, dum &c.




CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex quinto Metaphysicæ.

Contradictio Prima.

C.F.  Vbtil. Doct. 5. Metaphys. quæst. 7. tenet plura accidentia, solo numero differentia posse esse in eodem subiecto: oppositum huius profitetur quæst. 4. Prol. vbi dicit, accidentia eiusdem speciei non posse esse in eodem subiecto, ergo euidens contradictio in suis dictis.

Conciliatio.

P. Pro solutione adductæ contradictionis, obseruare debes quinque conclusiones positas ab Ant. And. in hoc 5. Metaph. quæst. 8. ex quibus pendet conciliatio contradictionis; harum est.

Prima, non implicat contradictionem, duo accidentia intentionalia, solo numero differentia esse in eodem subiecto, quam conclusionem tali ratione confirmat. Multa accidentia eiusdem speciei sunt in eadem

eadem parte medij, & in eodem oculo. At illæ sunt quædam accidentia solo numero differentia, ergo esse poterunt duo accidentia intentionalia in eodem subiecto mai: patet, ponantur duo alba in medio, oculus existens in quocunque puncto, seu in qualibet parte medij, potest videre ipsa, ergo potest habere species eorum, & distinctè videt ea, ergo habet distinctas species: Pariter, vt simili ratione patet, in virtute imaginatiua sunt duæ species eiusdem rationis, ergo à simili absque contradictione poterunt esse duo accidentia intentionalia, solo numero differentia in eodem subiecto.

Secunda conclusio. Non est impossibile duo accidentia realia respectiua, solo numero differentia esse in eodem subiecto; constat conclusio de patre habente plures filios, in quo sunt plures relationes reales, scilicet, plures paternitates, quæ sunt eiusdem speciei, prout ex hoc 5. met. tex. 20. haberi potest, dum dicitur de patre, quod ideo dicitur quia genuit, ergo si multis actibus genuit, multis paternitatibus, est pater.

Tertia conclusio. Non est impossibile duo accidentia realia absoluta non educta de potentia materiæ, solo numero differentia, esse in eodem subiecto: conclusio hæc clara est, maximè si multorum memoriarum exemplum adhibeamus, etenim multæ memoriæ, quæ, vt constat ex se, accidentia realia absoluta sunt, eiusdemque speciei, & in eodem subiecto solo numero differunt, vnumque solum experimentum gignunt, ergo non est impossibile plura accidentia solo numero differentia esse in eodem subiecto.

Quarta conclusio. Non est impossibile, duo accidentia realia educta de potentia materiæ (esto per motum) solo numero differentia, esse in eodem subiecto:

cto: est euidens hæc conclusio si inspiciatur duo lumina, quæ accidentia realia sunt, nec non absoluta, ac educta de potentia materiæ, soloq. numero differentia posita, scilicet in eadem parte medij, ergo non implicat talia accidentia esse in eodem subiecto.

Quinta conclusio. Impossibile est duo accidentia realia absoluta educta è gremio, seu potentia materiæ per motum naturalem solo numero differentia, esse in eodem subiecto: Conclusio redditur euidens ex eo, quoniam motus est è contrario in contrarium, ergo impossibile est accidentia realia esse &c. his ergo obseruatis conclusionibus.

Resp. primo, D. S. in hac quæst. loqui de accidentibus explicatis in quatuor primis conclusionibus. In quæst. 4. Prol. de accidentibus explicatis in quinta, ideo non adest contradictio in suis dictis.

Resp. secundo. Non adesse contradictionem nam D.S. quæst. 4. Prologi, loquitur arguitiuè contra Gotfredum, vt patet intuenti litteram Doctoris, ideo non extat contradictio.

Contradictio II.

C.F. S.D. 5. met. quæst. 10. habet proportionabilitatem fundari super proportionem, & ita relatio in relatione, eandem doctrinam profitetur in 1. dist. 19. & in 2. dist. 1. quæst. 4. & 5. & in 4. dist. 6. q. 2. & dist. 12. quæst. 1. & 3. quæst. quol. art. 3. & 6. art. 2. huius oppositum docet in 1. dist. 3. quæst. 5. §. Quantum ad istum articulum dico: quo loco habet omnem respectum habere fundamentum absolutum, & dist 26. quæst. vnica litt. O, vbi habet pro inconuenienti relationem fundari in relatione, ergo contradictio in suis &c.

Conciliatio.

P. Resp. Bargius,& Pistorien. Doctorem Subtilem non absolutè negare relationem fundari in relatione, sed solum negare de duabus,scilicet, de æqualitate,& inæqualitate. Vult enim, dicunt, æqualitatem non posse fundari in inæqualitate. Verum licet hæc responsio saluari possit quantum ad locum dist. 26. non tamen saluari potest quãtum ad dist. 3. vbi dicit, omnem respectum habere fundamentum absolutum, & ideo adducta respõsio inualida est, quare aliter. Resp. duplex esse fundamentũ relationis. Vnum vocant remotũ, alterũ vero proximum,& non vltimatum, hic veluti etiam in locis ad idem, loquitur de fundamento remoto; dum vero oppositum asserit, loquitur de fundamento proximo,& sic saluatur Doctor à contradictione.

Contradictio III.

C.F. Scot. 5. met. q. 15. docet actum reflexum non facere ens rationis, sed solũmodo attingere illud, quam doctrinam cõfirmat in 2. dist. 1. q. 5. Oppositũ vero docet q. 17. vbi docet actum formatiuũ entis rationis posse esse absolutum, vel collatiuum, vel reflexum, & hoc communiter tenetur à Scotistis, ergo contradictio.

Conciliatio.

P. Pro cõciliatione adductæ cõtradictionis debes obseruare, prout egregiè obseruauit P. Vinc. Ciorla à Scãno Regẽs Aquilæ in disp. de ente rationis q. 7. quod actus reflexus est duplex, videlicet, speculatiuus vnus, practicus alter, dũ ergo D. S. hic negat, negat de actu reflexo speculatiuo, dum vero concedit loquitur de actu reflexo practico,& sic saluatur à contradictione D. S.

CON-

CONTRADICTIONVM
V M B R Æ
Ex ſexto Metaph. depromptæ.



Contradictio Prima.

C.F. DOct. Subtil.6. Metaph. quæſt. 1, aſſerit ſubſtantiam ſeparatam eſſe ſubiectum ſecundæ Philoſophiæ, nempè Metaphyſicæ: At in 1. Met. quæſt. 1, oppoſitum docuit, poſuit enim ibi ens eſſe ſubiectum Metaphyſicæ, ergo ſibi contradicit.

Conciliatio.

P. Reſp. negando D.S. ſibi contradicere, nam dum dicit hic ſubſtantiam &c. loquitur de Principalitatis ſubiecto, prout animaduertit doctiſsimus Mauritius; in 1. vero quæſt. 1. Metaph. loquitur de ſubiecto adæquationis, & ideo non eſt contradictio &c.

Contradictio II.

C.F. Scot.6.Metaph. quæſt.3. aſſerit bonum, & malum eſſe in re: verum, & falſum in intellectu: huius op-

positum profitetur quæst.18. quol. vbi docet verum, & falsum esse in re, ergo contradictio.

Conciliatio.


P. Pro solutione adductæ contradictionis debes obseruare de mente Scoti in hac quæst. videlicet, veritatem dupliciter posse considerari, vno modo in re, alio modo in intellectu, veritas in re est conformitas rei intelligibilis, seu intellectæ ad ipsum intellectum, & appellatur intelligibilitas rei, quam Arist. 2. Metaph. appellat veritatem dicens. Vnumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, hoc est intelligibilitatem, & ista est veritas in re. Alia est veritas in intellectu, & est conformitas actus intelligendi ad ipsum obiectum intellectum, vt dum quispiam rem conformiter ad ipsam intelligit, & huiusmodi veritas est in intellectu: quare cum Scot. dicit, quod veritas est in re priori modo intelligendus est; cum vero ait, quod est in intellectu, loquitur secundo modo, & sic saluatur.

Resp. secundo, veritatem dupliciter posse considerari, videlicet, originatiuè effectiuè, & fundamentaliter, & sic est in re, alio modo formaliter, & sic est in intellectu, qua stante distinctione patet, quomodo &c.

CON-

CONTRADICTIONVM VMBRÆ

Ex ſeptimo Metaph. depromptæ.



Contradictio Prima.

C.F. 
Oct. Subtil. 7. Metaph.quæſt.1. habet quod ſubſtantia virtualiter continet accidentia, quia continet ea in genere cauſæ efficientis, quia non tantum eſt receptiua, ſed etiam eſt effectiua, quam ſententiam confirmauit in 2. diſt. 25. & in 3. diſt.13.quæſt.1.ſoluendo 1.& in 4.diſt.12.quæſt.1. & 3. idque frequenter profitetur. At in 3. diſt. 1. q. 1. art.1. habet oppoſitum, dum dicit accidens ad ſubſtantiam habere duplicem habitudinem, vbi habet hæc verba. Accidens enim ad ſubſtantiam, ſiue ad ſubiectum ſuum, duplicem habet habitudinem, ſcilicet, informantis ad informatum, & ita neceſſario includit imperfectionem in ſubiecto informato, eo quod potentialitatem habet reſpectu actus accidentalis, ſcilicet, ſecundum quid. Aliam habet, vt poſterius naturaliter ad prius à quo dependet, non vt ab aliqua cauſa, quia ſi habet ſubiectum pro aliqua cauſa, habet ipſum pro cauſa materiali, hoc eſt inguan-

quantum informat ipsum. Hæc Scot. Vnde manifestè apparet quomodo negat efficientiam substantiæ ad accidens, & per consequens euidenter sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. negando Doct. sibi contradicere, nam D.S. 3. sent. abs te loco adducto, nō facit mentionem de habitudine causæ efficientis, nam ibi solum mentionem facere volebat de habitudine, quæ est similis habitudini Verbi ad naturam, & quia habitudo substantiæ in ratione efficientis non est illis similis, ideo eam ibi non enumerauit, quia ibi non faciebat ad propositum, ideo nulla adest contradictio in dictis Scoti, & sic potest exponi illa propositio, substantia virtualiter continet accidentia &c. idest perfectiori modo.

Contradictio II.

C.F. S.D. 7. Metaph. quæst. 1. habet ordinem causarum esse simpliciter necessarium, & hoc idem habet in 1. dist. 2. & in 4. dist. 12. quæst. 1. At 1. sent. dist 8. q. 4. §. Ad vltimum dico, dicit oppositum, videlicet, quod talis ordo non sit simpliciter necessarius, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Doctorem Subtilem sibi non contradicere, etenim in primis locis assignatis, loquitur secundum mentem Philosophorum 8. dist. vero secundum mentem Theologorum, ideo non extat contradictio &c.

Contradictio III.

C.F. Scot. 7. Metaph. quæst. 6. profitetur compositum esse perfectius termino formali. At 1. sent. dist. 6. quæst. vnica, §. contra istud obijcicitur, destruit hanc doctrinam, habet enim ibi, quod nulla entitas simpliciter perfectior formali termino productionis, potest esse per productionem, quare euidenter sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. nullam adesse contradictionem, nam duplex est terminus formalis, vnus est partialis, alter vero totalis, in hoc septimo loquitur de termino partiali, in primo autem loquitur de termino totali, qui est ipsa natura, quare in suis dictis nulla extat contradictio.

Contradictio IV.

C.F. D.S. 7. Metaph. quæst. 9. docet formam, seu causam quoad esse capere illud à causato, seu composito, idipsum habet 9. quest. quol. At quæst. 4. prol. manifeste negat, habet enim causam nullum esse capere à causato, nec in ordine ad ipsum, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Pro conciliatione adductæ contradictionis opus est, vt recurras ad ea, quæ diximus in tractatu de causis,

ſis, videlicet, cauſam eſſe duplicem, vna intrinſeca, extrinſeca altera, qua ſtante diſtinctione dico, D. Subtil. quæſt. 4. prol. dum negat, intelligendus eſt de extrinſeca, dum vero affirmat, loquitur de cauſa intrinſeca, quæ capit ab effectu, eſſe ſubſiſtentiæ, prout docet D. S. quæſt. 9. quol. ideo non adeſt contradictio.

Reſp. ſecundo, Doct. Subtil. in hac quæſt. loqui, prout diximus de eſſe ſubſiſtentiæ; in quæſt. vero 4. prol. loquitur de eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ, ideſt cauſa non capit à cauſato eſſe eſſentiæ, nec exiſtentiæ, prout docet ipſemet Doctor in 3. diſt. 6. quæſt. 1. & 2. quicquid dicant Heur. & D. Thom. aſſerentes accidentia capere à ſubiecto ſubſiſtentiam, & exiſtētiam, cum habeat tantum eſſe eſſentiæ, & ideo non adeſt contradictio.

Reſp. tertio. Dum Doctor in hac quæſt. affirmat, loquitur de entitate reſpectiua, ſeu denominatiua, dum vero negat quæſt. 4. prol. intelligendus eſt de entitate intrinſeca, ſeu abſoluta, quare non contradicit ſibi.

Contradictio V.

C. F. Subtil. Doct. 7. Metaph. quæſt. 13. & in 2. diſt. 3. quæſt. 6. & 2. report. diſt. 12. quæſt. item 6. docet vnum indiuiduum cōſtitui in eſſe indiuidui per vltimam entis realitatem quam heccheitatem vocant. At 3. ſent. diſt. 22. tenet indiuiduum conſtitui in eſſe indiuidui per coniunctionem materiæ cum forma, ergo aperta contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Pro conciliatione adductæ contradictionis, debes obseruare duplex esse indiuiduum, videlicet, Physicum, & Metaphysicum. Dum ergo D.S.7.Met. & alijs locis conformibus, ait, loquitur de indiuiduo Metaphysico 3.sent.vero loquitur de indiuiduo Physico, quare nō adest contradictio in dictis Doct.Subt.

Resp. secundo, Doct. Subtil. in tertio loqui ad hominem, prout ibi videre est, & nos in Metaphysica demonstrauimus.

Contradictio VI.

C.F. Scotus 7. Metaph. præcitata quæst. ponit indiuiduum constitui in esse indiuidui per aliquam entitatem contrahentem naturam ad esse indiuiduale. Verum 2. quæst. quol. art. 1. dicit oppositum, ait enim naturam de se absque aliquo contrahente constitui, dum dicit, quod homo est sua humanitate, hic homo, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Resp. Doct. Subtil. 2. quæst. quol. non dicere quod natura sit de se hæc, & indiuidua, dum inquam, dicit homo est sua &c. non sic dicit, quasi dicat humanitas est de se hæc, idest indiuidua; sed dicit, hic homo, hoc est, est extra causam, & intellectum seipso in genere causæ formalis est hic homo, seu hac humanitate, & hoc est verum; Non tamen hæc humanitas pro fundamento est hæc præcisè sua humanitate, sed

est hæc per differentiam indiuidualem, vt in hac quæstione asserit, & ideo non adest contradictio &c.

Contradictio VII.

C.F. Doct. Subt. 7. Met. quæst. 15. ait, singulare vagum esse primo cognitum. At quæst. 16. Animastica, & 1. sentent. dist. 3. quæst. 2. destruit hanc doctrinam, dum dicit, speciem specialissimam esse primum cognitum, quare euidenter sibi contradicit.

Conciliatio.

P. Resp. cum doctissimis Bargio, & Trombetta, Doct. Subtil. in primo non loqui de primo cognito absolutè, sed solum inter ea, quæ ab omnibus conceduntur cognosci, prout diximus Resp. quinta vltimæ contradictionis primi Metaphysicæ, At hic loquitur de his, quæ cognoscibilia sunt, & ideo nulla adest contradictio.

Contradictio VIII.

C.F. S.D. in hac 7. Met. quæst. 17. negat ab vltimis differentijs posse abstrahi aliquem conceptum communem, eandem sententiam confirmat 1. sent. dist. 3. quæst. 3. & 2. sent. dist. 3. quæst. 6. & in 4. dist. 11. quæst. 3. At in 1. sent. dist. 23. quæst. vnica, videtur repugnare huic doctrinæ illis verbis. Potest dici, quod ab indiuiduis non tantum potest abstrahi species, quæ dicit quidittatem indiuiduorum, sed etiam aliquid quasi proprium, ergo euidens contradictio.

Conciliatio.

P. Dupliciter adductæ contradictioni respondeo, & primo dico, D.S. in 1.dist.adducta 23. loqui sub dubio, videlicet, Potest dici, non quod dicat assertiuè, sed dubitatiuè, eo modo, quo 3.quæst. quol. loquitur de primo obiecto intellectus, & dicit esse ens latissime sumptum; obseruauit subtilissimus Gadius Scotum, non loqui assertiuè, sed ait, Potest poni, ita in proposito; quare non extat contradictio.

Resp. secundo, præcitata dist. 23. loqui de conceptu denominatiuo, hoc est, ab indiuiduis, quasi denominatiuè conuenit ratio primæ diuersitatis, quod non est aliud, nisi non habere quidditatiuè aliquid commune, sed tantum aliquid consequens quidditatem, prout constat est verbis ipsiusmet Doct. Quasi proprium; in alijs vero locis, veluti in hac quæst. negat posse abstrahi conceptum &c. scilicet quidditatiuum, & ideo non contradicit sibi Doctor.


Contradictio IX.

C.F. Scotus 7. Met.quæst.19. asserit definitionem, & definitum distingui ex natura rei: huius oppositum docet 2.Met.quæst.2. ergo contradicit sibi.

Conciliatio.

P. Resp.D.S.2.Met. non loqui assertiuè, sed disputatiuè referre aliorum placita; idque patet ex verbo illo ibidem posito (Dicitur) prout obseruauit Postn. 1. sent.dist.3.quæst.1.disp.1.

HÆc ſunt, amice Lector, quæ pro nunc colligere potui apparentes Contradictiones in doctrina Doct. Subtil. in quas, ſi quæ minus bene dicta repeteris imbecillitatem excuſes, rogo, ſi quæ vero bene dicta Omnipotēti Deo, à quo omne bonum procedit, tribue; ei igitur, & Beatiſsimæ Virgini Deiparæ, Beatiſsimis Dominico, & Franciſco Prædicatorum, ac Minorum familiæ Patriarchis, necnon D. Antonio de Padua, D. Catharinæ Virgini, Martyriq. omnibuſq. Sanctis honor, & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.



INDEX ALPHABETICVS,

Eorum quæ continentur in hoc Opere.

A

Quo-

B

Beatus . Beatitudo.

C

Causa.

Cœlum.

Cognitio.

Com-

Duplex

Modus

P

Pars.

Perfectio.

Prædicatio.

Prædicamentum.

Primum cognitum.

Principium.

Prioritas, & Posterioritas.

Na-

Du-

Vnum, & Vnitas.

Vox.

LAVS DEO.

Non te pigeat, Amice Lector, antequam perlegas errata, Impressoris celeri manu commissa, corrigere.

Pag.	lin.	Errata.	Corrige.
7	16	Doctissimus Magister mei	Doctissimi Magistri mei
8	11	vt subiectum	at subiectum
12	vlt.	loqui de mobili. secũdo modo	de mobili secundo modo
13	21	etiam	etenim
20	10	modi	modo
21	22	cumque	eumque
24	31	Mathematico	Metaphysico
26	5	terminis	sermonis
28	6	tractatu	tractatus
40	20	edocet	docet
49	20	delatione	relatione
51	5	posse esse; equiuoce	posse esse equiuoce res
54	28	edentis	contentis
57	7	At 1.2. sentent.	At 2. sentent.
61	14	impugnantia	repugnantia
62	10	soluatur	saluatur
63	17	actui	actu
64	9	acti	actu
74	31	his duo	hij duo
76	11	Doctorum	Doctorem
ibid.	20	quo non	qui non
	32	exponi	exposui
80	28	dedere	debere
88	11	Scotum te citare	Scotum se citare
94	12	& hoc Pater	& hoc modo Pater
102	vlt.	Doct. nomine materiæ	Adde. Resp. secundo Doct. nomine materiæ
115	25	quo codices	qui codices
133	9	recipit	reijcit.

Bana quella quale non

quale non uile: che [illegible] quegli

quelle non visti hauemo

d'menno d' quella quella.

Paulus. Come [illegible]

santi. di quelle non [illegible]

[illegible] uitenendolla che

[illegible] le dimando dicendo Lorenzo

dob uilo elleo che non

Bo

Bona